






Cres
cat Sci
entia
Vita
Exco
latur

DE

ELOCUTIONE C. SALLUSTII CRISPI

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

P. P.

NICOLAUS ÖSTLING
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MINORE

ANTE DIEM IX CAL. MAJ. MDCCCLXII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT EDQUIST ET BERGLUND
MDCCCLXII.



Latin

REVERENDISSIMO ET CLARISSIMO DOMINO

J. WÅHLANDER

S. THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ DOCTORI

PAROECIÆ HUSBY ORIENTALIS PASTORI

REBUS ECCLESIASTICIS IN REGIONE WIKBOLANDICA PRÆPOSITO

REGII ORDINIS DE STELLA POLARI MEMBRO

Hoc opusculum grato animo dicatum

voluit

AUCTOR.

De Elocutione C. Sallustii Crispi Commentatio.

Conscripsit

Nicolaus Östling.

Quum omnino in literis res sit difficilis aliqvid proponere quod non doctissimorum hominum doctrina jam sit illustratum, tum difficillimum videtur in Latinis literis, quippe in quibus tantam operam tamque diligentem curam jam posuerint viri docti, vix ut quidquam iis relictum esse videatur, si qui in ea re aliquid elaborare velint. Hæc perpendenti mihi atque consideranti unde potissimum argumentum hujus opusculi caperem, C. Sallustius Crispus mihi visus est dignissimus, quem eligerem, non solum ob ingeniosam rerum tractationem sed etiam propter singularem illum ejusque proprium sermonem. Quum enim de his rebus alii aliter judicaverint, haud inutilem fore operam putavi, si de elocutione ejus et dicendi genere nonnulla in medium proferrem; præsertim quum adeo fuisse videamus inter se contraria et diversa de Sallustii sermone judicia, ut scripta ejus aliis magnopere probata alii prorsus fere condemnaverint ipsumque e numero optimorum scriptorum ejiciendum putarint. Cujus rei causa ex aliqua parte in eo fortasse quærenda est, quod viri docti præjudicatis imbuti opinionibus, quas e testimoniis veterum non sane satis intellectis vel certe parum diligenter examinatis petiverunt, scripta Sallustii multis locis non modo non emendarunt sed deformarunt. Quum enim ita persuasum haberent, Sallustium, quem brevitatis fuisse studiosissimum et verborum priscorum amantissimum acceperant, omnia, quæ aliquo modo abesse possent, omisisse et verba

minus usitata captasse, brevitati illi et verborum insolentium studio in scriptis ejus emendandis ita consuluerunt, vix ut Sallustium in Sallustio agnoscas [1]). Huc accedit, ut scripta ejus medio ævo magis assidue lecta sint, quam quod alii cuiquam scriptori fortasse contigerit; itaque factum est, ut, id quod fieri solet, quo sæpius scriberentur, eo magis corrumperentur. Sed hac demum nostra ætate viri doctissimi in libris ejus emendandis atque interpretandis ita versati sunt, ut de sermone Sallustii certius et verius existimari possit. Eorum igitur, præsertim Fr. Kritzii, opera adjutus elocutionem Sallustii, ut potero, adumbrare conabor. Jam vero quum ejusmodi aliquid conscribere statuerim, nonnullis forsitan a re alienum esse videatur de vita ejus atque moribus omnino disputare; quum autem fere omnes, qui de moribus ejus scripserunt, in ea re judicanda ita versati sint, ut eum quasi causa indicta condemnarent, haud alienum putavi, quibus tandem rationibus permoti eum damnarint, quærere et scrutari quo ex fonte illa crimina, quæ Sallustio sunt illata, manaverint.

---

[1]) Vide Kritzii præfationem editioni Catilinæ præpositam p. 1 sqq.

C. SALLUSTIUS CRISPUS Amiterni in Sabinis anno 668 ab urbe condita patre plebejo natus est. De juventute ejus, institutione ac rebus domesticis admodum pauca cognovimus, ideoque maxime est dolendum, librum de vita ejus ab Asconio Pediano conscriptum ad nostram ætatem non pervenisse; quo deperdito ex ipsius scriptis atque ex raris veterum testimoniis colligenda sunt ea, quæ quandam quasi imaginem vel potius adumbrationem vitæ ejus efficiant. Suetonius Attejum, nobilem Grammaticum, præceptorem ejus fuisse docet, eundemque postea Sallustium familiarissime coluisse et breviario omnium rerum Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxisse [1]). Egregiis vero ingenii doctrinæque præsidiis instructus in studium historiæ adolescens incubuit [2]). Ambitione autem ductus studium literarum reliquit atque morem ætatis suæ secutus rempublicam capessivit. Jam vero quum civitas illo tempore in duas partes discessisset gravibusque vexaretur contentionibus, eorum secutus est partes, qui populi jura a paucorum arrogantia et dominandi cupiditate defendebant. Civilibus igitur illis contentionibus implicatus multa expertus est adversa tum invidia inimicorum tum iniquitate temporum, quibus rebus adductus est, ut ætatem procul a republica agendam decerneret. Quæstor fuit, quo tamen anno non satis constat. Tribunus plebis 702 a. u. c. de Milone, qui ineunte illo anno Clodium interfecerat, contiones habuit inimicissimas atque Ciceronem, qui illum summo studio defendebat, acerrime impugnavit. Duobus post annis per Appium Claudium Pulchrum, qui una cum L. Cornelio Pisone censuram gerebat, senatu motus anno insequente a Cæsare, ad quem confugerat, in senatoriam dignitatem restitutus est. Egregiam deinde operam Cæsari navavit præsertim in bello Africano, quo factum est, ut Cæsar, devicto ad Thapsum hostium exercitu, Numidiæ provinciæ Sallustium optime de se meritum imponeret. Magnas ibi divitias comparavit, quam ob rem, quum Romam rediisset, rerum repetundarum accusatus Cæsare auctore absolutus esse dicitur. Ab eo tempore, quo provincia decessit, quum nihil de eo neque sui neque insequentis temporis scriptores memoriæ tradiderint, verisimile est, eum ad studia literarum rediisse. Mortuus est anno 719

[1]) De illustr. Gramm c. 10. [2]) Catil. 4: 2.

a. u. c. annos unum et quinquaginta natus. Liberos quum non haberet, filium sororis adoptavit.

Hæc quamquam haud sane sufficiunt ad efficiendam veram vitæ Sallustii imaginem, certis tamen scriptorum testimoniis nituntur. At quæ de moribus ejus commemorantur admodum sunt incerta. Sed fatali quodam casu evenit, ut quæ contenderent inimici vel calumniatores, ea adeo haberentur certissima atque verissima, ut Sallustius non solum æqualium invidia vexaretur sed apud posteros etiam summa flagraret infamia; quæ quidem infamia eo visa est augeri, quod, quæ in ipsius moribus inessent vitia, ea in aliis non erubuerit vehementer castigare. Ac sane tanta in illum congesta sunt crimina, ut, si vera essent, de fama ejus omnino actum esset. Sed contemplemur, quo ex fonte manaverint contumeliæ illæ Sallustio illatæ. Princeps igitur hujus rei auctor putandus est Pompejus Lenæus, libertus quidam Pompeji, qui, ut ait Suetonius [1]), Sallustium acerbissima satira laceravit, *lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.* Id demum est egregium illud testimonium, quo comprobari putant Sallustium moribus fuisse perditis. Quum autem Sallustius in Historiis præter alia multa de Pompejo dixisset, *oris eum improbi, animo inverecundo fuisse* [2]), veri sane simillimum est, Lenæum studio atque amore patroni et cæca quadam illius admiratione ductum Sallustii exstitisse calumniatorem. Quis enim est, quin videat, convicia illa, ab omni urbanitate et humanitate abhorrentia, ex odio partium et studio mendacis servi fluxisse, qui de fama inimici detrahendo dominum laudibus efferre conaretur. Jam vero si nihil omnino ex Sallustii scriptis exstaret, quis eum monstrosum fuisse scriptorem credere dubitaret? at vero quum egregia illa atque præstantissima Lenæum hac in re mentitum esse satis ostendant, facile adducimur ut credamus, quæ ab eo de vita Sallustii dicta sint, pariter falsa atque ficta esse, præsertim quum nullis certis argumentis sed tantummodo criminationibus infestissimi adversarii nitantur.

Aliud etiam præclarius testimonium e declamatione illa, quæ dicitur, Ciceronis in Sallustium petitum est. Neque satis mirari possumus, viros doctos illam calumniarum plenam declamationem attulisse ad comprobandos mores Sallustii depravatos. Quum enim altera illa, quæ dicitur, Sallustii in Ciceronem declamatione eadem fere convicia in hunc

---

[1]) Illustr. Gramm. c. 15.

[2]) H. incert. 41. Per occasionem moneo, me in locis Sallustii commemorandis semper secutum esse editionem, quam typis describendam curavit Fr. Kritzius (C. Sallustii Crispi Opera Voll. I—III Lipsiæ 1828—1853).

congesta sint ab illo, nemo, quantum quidem scio, ea vera esse umquam putavit, sed de Sallustio, quasi omnia certissimis argumentis comprobata essent, libenter acceperunt. Quod eo magis est mirandum, quia inter viros doctos jam diu constat, utramque declamationem umbraticam esse exercitationem a rhetoris cujusdam schola profectam, cui quidem nihil aliud videatur fuisse propositum, nisi ut, nullius personæ neque temporis ratione habita, vilia atque turpia fere omnia, quæ cogitari possent, in fictum quendam adversarium congererentur. Quæ quum ita sint, difficile sane non est judicare, quæ auctoritas utrique declamationi sit tribuenda.

Neque vero major tribuenda est fides aliis quibusdam, qui de vita Sallustii mentionem fecerunt, ut Lactantio [1]), Macrobio [2]), Symmacho [3]), quia ex fontibus illis lutulentis videntur hausisse veterem de moribus ejus decantatam cantilenam, quæ quidem nullo modo verior fit, si post aliquot sæcula ab aliis denuo profertur.

Multo gravior in hac re testis exstat M. Terentius Varro, cujus fidem in literis nemo quidem in dubium vocaverit. Gellius [4]) enim inquit *M. Varro in literis atque vita fide homo multa et gravis, in libro, quem scripsit de pace, C. Sallustium, scriptorem seriae illius et severae orationis, in cujus historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit, et quum dedisset pecuniam dimissum.* Si autem reputaveris Sallustium post graves atque inimicissimas contentiones, Clodii cæde ortas, in gratiam cum Milone rediisse [5]), credi vix potest, tantam alteri ab altero illatam esse contumeliam, quæ omnem reconciliationem prorsus prohibuisset. Accedit, quod Cassius Dio, qui nihil fere quidquam omisit, quo de fama Sallustii detraheret, ne uno quidem verbo hujus rei mentionem fecit, neque Gellius rerum Romanarum scientissimus et Sallustium sæpe commemorans mores ejus fuisse perditos atque dissolutos umquam dixit; quam ob rem verisimile quidem est, Varronem rem a Pompejanis divulgatam, at certe minus compertam quam memorabilem

[1]) Instit. Div. 2: 12 *quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio utimur. — Recte, si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim foedissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit.*

[2]) Saturn. 2: 9. *Haec Sallustius, gravissimus alienae luxuriae objurgator et censor.*

[3]) Epp. 5: 68 *Statuerit hoc scriptor stilo tantum probandus; nam morum ejus damna non sinunt, ut ab illo agendae vitae petatur auctoritas.*

[4]) Noct. Attic. 17: 18.

[5]) Vide Asconium in Cic. pro Milone orat. p. 39 ed. Orell.

referre [1]). Fortasse levia quædam suberant, quæ ab inimicis supra modum aucta atque in pravum detorta erant; quod quidem haud ita mirum videbitur, si reputaveris tempora illa ira et studio partium exagitata. Sunt profecto qui dicant, Sallustium senatu motum esse, quod dissolutis esset moribus, neque mihi in mentem venit negare, id ea specie factum esse, sed persuasum mihi est, odium adversariorum veram fuisse causam, cur Appius Claudius non solum Sallustium sed multos alios e senatu ejiceret; id quod satis apparet e scriptis Cassii Dionis [2]).

Deinde si quærimus, unde alterum illud crimen expilatæ Numidiæ fluxerit, princeps ejus rei auctor idem scriptor declamationis exstat [3]), qui eum provinciam ita vastavisse dicit, *ut nihil neque passi sint neque exspectarint gravius in bello socii populi Romani, quam experti sint in pace, eo Africam interiorem obtinente.* Argumentum hujus rei affert, Sallustium magnas divitias ex provincia retulisse. Jam quantum fidei sit declamatoris istius criminationibus tribuendum, supra demonstravimus. Cassius Dio quidem eadem fere refert [4]), sed quum veri simillimum sit, eum ex illa declamatione hæc hausisse [5]), parum efficiunt ad rem comprobandam. Non igitur si Sallustius divitias in provincia comparavit, idcirco rapinarum reus est putandus, id enim omnes fere provinciarum gubernatores fecisse satis constat, atque etiamsi, ut ait Cassius Dio, rerum repetundarum accusatus est, id quod dubitari licet, ne accusatione quidem illa res comprobatur, quoniam cognovimus criminationes provinciarum gubernatoribus intendi solitas esse ab iis, qui vel odii satiandi occasionem quærerent vel aliis convellendis sibi nomen comparare vellent. Neque vero est silentio prætereundum, non pacatæ eum præfuisse provinciæ, sed ei, quæ partes Pompeji contra Cæsarem secuta ejus adversarios militibus atque pecunia adjuverat; quam ob rem Cæsarem magna Numidiæ imposuisse tributa [6]), atque Sallustium in iis exigendis fortasse modum nonnihil excessisse, verisimile est.

Perpensis igitur iis, quæ de vita et moribus Sallustii tradita sunt, nullam videmus causam, cur eum ceteris claris scriptoribus, quorum quidem famæ nulla nefariæ turpitudinis nota inusta est, deteriorem fuisse judicemus. Neque vero nos ii sumus, qui contendamus, eum

---

1) Neque vero res, ut nonnulli putant, Horatii testimonio comprobatur; illius enim verba Sat. 1: 2, 41 et 47 sqq. ad rerum scriptorem non spectare jam viderunt Wieland. et Heindorfius.

2) Cassius Dio 40: 63. 3) c. 7. 4) 43: 9.

5) Wilmans de fontibus Dionis p. 36—39.

6) Cfr. Cass. Dio 43; 9. *λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ αγειν τε καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν.*

alterum Catonem vel prorsus sanctum fuisse virum. Nam vita ejus in ea incidit tempora, quibus flagitia atque scelera cujuscumque generis in civitatem invaserant, quam ob rem necesse fuit mores ejus neque integerrimi neque communis depravationis plane expertes essent. Neque vero iis assentiri possumus, qui præjudicatis quibusdam opinionibus ducti eum omnium fuisse profligatissimum dixerunt. Quum enim omnes consentiant, eum in scriptis suis gravitate sententiarum, veritatis amore, æqui bonique studio, denique omnis turpitudinis atque malarum artium odio talem se præbuisse, vix ut alium quemquam, nisi forte Tacitum unum exceperis, invenias, qui his rebus eum superaverit, mirum sane videtur atque ad ingenii humani naturam parum accomodatum, si talis fuisset, qualem acerbi inimici vel iniqui vituperatores eum fuisse contendunt. Meliores igitur partes agemus, si statuerimus eum, etsi a vitiis suæ ætatis non plane liberum, tamen non ita fuisse perditum, ut turpitudinis ignominiam clarissimi scriptoris nomini inuri oporteret. Quamquam enim certissimis et exploratissimis argumentis comprobare non possumus ex iis vitiis, quæ ei illata sint, omnia prorsus esse falsa, suspicari tamen licet, tantam vitæ atque scriptorum discrepantiam nullo modo exsistere posse.

Libri, quos Sallustius conscripsit, sunt de conjuratione Catilinæ, de bello Jugurthino et Historiarum libri V.

Ex iis librum de Catilina primum scriptum esse Sallustius ipse satis aperte indicat [1]) et ex eo quoque apparet, quod ceteris ejus scriptis paulo est inferior; præterea non multo post Cæsaris mortem scriptum esse ex c. 53: 6 et 54 patet. Ab egregia præfatione orsus corruptionem, quæ in universam civitatem invaserat et in ipso Catilina quasi fastigium erat consecuta, ante oculos legentium perspicuis verbis proponit. Sunt qui ei vitio vertant, quod multa, quæ apud alios, ut apud Ciceronem, Cassium Dionem, Plutarchum, alios reperiuntur, plane omisit. Ei autem propositum erat causam labefactatæ reipublicæ in corruptis civium moribus positam esse ostendere et quid depravata rerum conditione fieri necesse fuerit, exemplo confirmare. Quam rem intuens ad institutum pertinere non duxit omnia exponere, quæ aliquo loco aut tempore in illa conjuratione facta essent, sed ea, quæ ad veram atque expressam temporum imaginem efficiendam apta essent, prudenter comprehendit.

Deinde in libro, qui inscribitur de bello Jugurthino, bellum illud, quod intra annos 643 et 648 a. u. c. populus Romanus gerebat cum Jugurtha rege Numidarum, exponit. Quum in Catilina mores corruptos

[1]) C. 4.

civium atque intestina mala descripsisset, in hoc libro nobilium nequitiam et insolentiam detexit, quantaque externa pericula ex eorum pravo et venali animo reipublicæ impenderent, dilucide ostendit. Mirum in modum et summa arte hujus libri argumentum disposuit et singula ad unum redegit, ita ut facile videamus Sallustii artem historiæ scribendæ jam ad summum pervenisse. Quod quidem jam in præfatione videre licet; ut in priore ita in hoc libro vitam suam publicam, depravatum civitatis statum commemorat, sed hic quum longe gravius atque certius est ejus judicium, tum prudentius et ab animi concitatione et perturbatione omnino liberius.

Postremo conscripsit Historiarum libros, in quibus omnia, quæ populus Romanus intra duodecim annos (676—687 a. u. c.) belli domique gerebant, commemoravit. Quanta fuerit hujus operis præstantia non solum fama et veterum testimoniis constat, sed etiam ex iis, quæ hodie exstant, reliquiis, satis conjici potest [1]). Ac sane maxime est dolendum, illos libros iniquitate temporum periisse, quippe in quibus tempora illa collustrentur, quum respublica Romana tantis et domesticis et externis periculis concuteretur, vix ut alio umquam tempore adeo sit labefactata; descripsit enim Sallustius Lepidi tumultum, expeditionem contra piratas, bellum Sertorianum, Mithridaticum, Macedonicum, servile bellum atque discordias ex studio tribuniciæ potestatis restituendæ ortas [2]).

Epistolas autem ad C. Cæsarem de republica ordinanda et declamationem in Ciceronem, quæ olim Sallustio tribuebantur, Sallustii non esse, plurimis iisque certissimis argumentis comprobatum esse inter omnes satis constat [3]).

Jam vero si de Sallustii virtutibus in historia scribenda existimare volumus, nobis est considerandum, quum a quibus initiis apud Romanos profecta sit ars historiæ componendæ, tum quo tandem illis temporibus sit progressa. Historiæ rerum Romanarum initia fuerunt annales, in quos pontifex maximus referebat, qui fuissent magistratus majores, qui dies festi celebrati, quæ omnino res memoria dignæ actæ essent; iique

[1]) Historiarum fragmenta a Carrione, Debrossio, Gerlachio, aliis, collecta Kritzius primus ita disposuit, ut, quæ rerum natura effici possint, ea consecutus esse videatur vir ille doctissimus. Nuperrime Dietschius in iis disponendis ab eo nonnihil recessit.

[2]) Cfr. quæ de Sallustii Historiis egregie disputavit Kritzius in epistola critica ad Ern. Wuestemannum, Historiarum fragmentis præposita.

[3]) Vide Kritzii præfationem editioni Catilinæ præpositam p. 17—20. — Cfr. Bernhardyum (Grundriss der Röm. Litteratur p. 601), Bæhrium (Geschichte der Röm. Litteratur I. p. 72).

annales unicus fere fons erat, ex quo per multa sæcula memoria rerum publicarum et privatarum repetebatur, quo factum est, ut omnes, qui proximis temporibus historiæ se darent, annalium jejunam atque tenuem formam sequerentur. Deinde temporibus illis, quum bellica laude maxime floreret respublica Romana, exstiterunt quidem historiarum scriptores, sed ut ab elegantia orationis alieni erant, ita judicii quo opus est ad res secernendas et in ordinem disponendas videntur fuisse expertes, quorum omnium ultimus erat L. Sisenna, quem Cicero hoc modo laudat: "quum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis literis illustratum" [1]). Quamquam igitur initia quædam ac quasi semina historiæ perspici possunt, res tamen eo nondum erat perducta, ut historia ex incomposita rerum quasi turba ad artem quandam atque præstantiam evasisset. Jam vero primi, qui vera historici laude digni haberentur, exstiterunt C. Julius Cæsar et C. Sallustius Crispus, quorum quum alter mira illa atque præclara commentariorum simplicitate et venustate excelleret, alterum utrum sententiarum gravitate an singulari et incredibili orationis brevitate admirabiliorem habeas, statui vix potest.

Sallustii igitur virtutes in historia componenda in eo vel maxime cernuntur, quod relicta tenui illa atque jejuna rerum gestarum narratione continuationem quandam rerum ac seriem effecit, ita ut alia ex alia nata omnesque inter se aptæ colligatæque viderentur. Res enim non solum enumerat, sed temporum et morum ratione habita rerum gestarum causas perscrutatur, quibus quæque consiliis gesta sint dilucide proponit, eventus cum causis accurate conjungit, quid in quaque re maximum et præcipuum sit animis legentium perspicue subjicit. Scripta ejus ad verum planeque exprimunt corruptum reipublicæ statum luctuosis illis temporibus, quum luxuria, avaritia, ambitione, depravatione morum labefactata præceps iret civitas; atque ubi de singulis rebus agitur, ars illius historici in eo enitet, quod relictis iis, quæ parvi sunt momenti, res præcipuas paucis sed nervosis verbis exponit. Quum igitur mores atque naturam excellentium virorum describit, admiranda sane in eo est facultas paucis sed ingeniose exprimendi quid cujusque maxime sit proprium; imprimis narrationi insertæ orationes gravitate verborum et sententiarum gratam efficiunt varietatem atque expressam humani animi rerumque publicarum imaginem proponunt; argumentum denique summa moderatione tractat atque finem singulis rebus ita sapienter imponit, ut satietate numquam afficiat lectores. At vero maxime est laudandum

[1]) Cic. Brut. 64: 228. Cfr. de Leg. 1: 2, 7.

illud veritatis studium atque judicium ab ira et studio plane liberum, quæ quidem res vel in eo maxime cerni potest, quod, quum plebis partes sequeretur, non solum ipsam plebem rerum novarum cupidam (C. 37: 3 sqq.) vel ex secundis rebus insolentem (J. 40: 5) ac seditiosos ejus duces (C. 38; J. 42: 2; H. I: 10; IV: 56) vituperavit, sed de justa adversariorum laude numquam detraxit, atque in historia conscribenda omnino ita versatus est, ut res, non homines spectasse appareat.

Quibus quidem rebus efficitur, ut inter optimos historiarum scriptores merito habeatur, id quod gravissimis quoque veterum testimoniis comprobatur. Tacitus enim *rerum Romanarum florentissimum auctorem* [1]) et Vellejus *aemulum Thucydidis* [2]) eum appellat. Quintilianus autem dicit: *At non historia cesserim Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear* [3]). Et in Martialis Epigrammate:

Hic erit ut perhibent doctorum corda virorum
Primus Romana Crispus in Historia [4]).

Atque Bernhardyus dicit, Sallustium omnino primum esse historiæ apud Romanos artificem, qui cum Thucydide et dicendi ratione et rerum humanarum cognitione comparari possit; quod autem turbido quodam orationis motu et studio rerum reputandarum tantum a Græco distet, id quum argumenti natura tum ingenio populi Romani satis explicari [5]).

Desiderarunt quidem in eo intelligentes hujus rei existimatores nonnulla ut diligentiam in temporibus denotandis, sed in ea re veteres omnino negligentius versati sunt; neque Schlossero assentiendum est, quum dicit, Sallustium nihil nisi mala atque inhonesta vidisse, nam boni et decori amore eum captum esse quum ex multis aliis videre licet tum ex eo apparet, quod Catonis virtutem summis effert laudibus, quæ in Metello bona atque egregia erant libenter agnoscit, patricios tantum spiritus in eo reprehendens, atque virtutes, quæ in ipso Sulla inerant, haud invitus laudat. Quod denique contendunt eum invidia vel odio commotum Ciceronem minus quam pro meritis ejus celebrasse, in eo mihi videntur vehementer errare, nam illius in republica gerenda vir-

---

1) Ann. 3: 30. 2) Hist. Rom. 2: 36.

3) Instit. Orat. 10: 1, 101. Cfr. 2: 5, 19.

4) 14: 191. — Cfr. Senec. Controv. 3 præf. — Vibius Sequester (de fluminibus), Isidorus (origg. 13: 21) *auctorem certissimum* eum vocant. Augustinus (de civitate Dei 1: 5) *nobilitatae veritatis historicum* et (Ep. 5 ad Marcellinum) *nobilissimum historicum* eum appellat.

5) Bernhard. l. l. p. 602.

tutes sibi non proposuerat ad tractandum, sed de Catilinæ conjuratione quam verissime paucis exponere statuerat [1]).

Ad elocutionem vero Sallustii si animum attendimus, invenimus jam antiquitus de ea ab aliis aliter fuisse judicatum. Exstiterunt enim non solum ejus laudatores sed etiam multi qui eam vehementer vituperarent. In numero autem vituperantium princeps fuit idem Lenæus, quem de vita Sallustii acerbissime judicasse supra commemoravimus, neque de scriptis illius mitius fecit judicium; Sallustium enim ait *scriptis monstrosum esse; praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem* [2]). Idem fere refert Quintilianus [3]) e cujusdam auctoris epigrammate, in quo hæc verba leguntur: *Et verba antiqui multum furate Catonis, Crispe, Jugurthinae conditor historiae.* Asinius Pollio præcipuus Sallustii obtrectator scripta ejus ut *nimia priscorum verborum affectatione oblita* reprehendit [4]). A Gellio Sallustius *novator verborum* appellatur [5]), et apud Quintilianum legimus: *ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri* [6]). Brevitatem orationis ejus laudat Quintilianus hoc modo: *Est vero pulcherrima, quum plura paucis complectitur; quale Sallustii est, "Mithridates corpore ingenti, perinde armatus". Hoc male imitantes sequitur obscuritas* [7]). *Quare vitanda est etiam illa Sallustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat nec dum repetatur exspectat* [8]); et *neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem et saepius ineruditum captanda nobis est* [9]). Omnino incorrupti judicii sunt hæc Gellii verba: *Elegantia,* inquit, *orationis Sallustii verborumque fingendi et novandi studium cum multa*

---

1) Cfr. Drumann. Gesch. Roms V p. 440 sqq. — — "Wer aber unvergängliches zu schaffen vermag, wie jener, der pflegt nicht zu beneiden, und wäre der Staatsmann der Gegenstand der Eifersucht gewesen, so hätte Sallust eher alles Andre als den "catilinarischen Krieg" geschrieben, dessen Titel schon an den Retter der Republik und an dessen Triumphe erinnerte, wenn er nicht etwa seine Selbstverherrlichung in jedem Worte entkräften und also eine Streitschrift liefern wollte, welches augenscheinlich nicht der Fall war". — —

2) Sueton. illustr. Gramm. c. 15.

3) Instit. Orat. 8: 3, 29.

4) Sueton. l. l. c. 10. Cfr. Sueton. de vita Augusti c. 86.

5) Noct. Attic. 1: 15.

6) Inst. Orat. 9: 3, 17.

7) L. l. 8: 3, 82.

8) L. l. 4: 2, 45.

9) L. l. 10: 1, 32. Cfr. ibid. § 102.

prorsus invidia fuit multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. In quibus plura inscite aut maligne vellicant. Nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione [1]).

Ex recentioribus autem elocutionis Sallustianæ obtrectatores exstiterunt Handius et Grysarius [2]), qui eum præstantissimis scriptoribus adnumerari vetant, et Teuffelius [3]) qui vituperantia veterum testimonia ita affert, ut cum iis videatur consentire. Bæhrius vero et Bernhardyus, viri de literis Romanis optime meriti, ejus dicendi genus omnino laudant.

Tria igitur omnino sunt vitia, quæ intelligentes hujus rei existimatores in scriptis Sallustii sibi deprehendere videntur, primum quod verborum priscorum fuerit amantior, deinde quod nimia in eo insit sententiarum brevitas atque obscuritas, tum quod ab usitato genere dicendi licentius omnino recesserit.

Quod ad primum illud attinet quum illa, quæ supra commemoravimus, veterum testimonia videmus, facile adduci possumus, ut credamus Sallustii sermonem a rudi illo atque impolito vetustissimæ antiquitatis dicendi genere plane non discrepare; quam rem aliquanto diligentius scrutantes, etsi nonnulla quidem reperimus, ex quibus Sallustium ab æqualium sermone nonnihil recedere appareat, tamen facile videmus orationem ejus, licet colorem quendam antiquæ gravitatis præbeat, non tantum redolere antiquitatem, quantum iniqui sermonis ejus vituperatores contendunt. Negari quidem non potest studium quoddam seriæ illius et severæ veterum orationis in eo deprehendi, neque id mirum est: ei enim contemplanti præsentem reipublicæ statum atque consideranti mores civium magis magisque corruptos causam fuisse, cur civitas ad interitum præceps iret, non potuit non animo obversari pristinum illud tempus virtutis, continentiæ, fortitudinis exemplis insigne; id quod satis ex eo apparet, quod in vitiis æqualium castigandis sæpe commemorat majorum virtutes. Quum autem nemo ei videretur veriorem viri Romani imaginem præbere quam M. Porcius Cato Censorius, quippe qui non solum vita sed etiam scriptis quasi unicum esset exemplum antiquæ probitatis et fidei, illius admiratione et studio captus facile adductus est, ut, quum res Romanas conscribendas suscepisset, tersam, ornatam, mollem æqualium orationem tamquam testem morum corruptorum aspernatus ab ætatis suæ genere dicendi paulum recederet atque simplicita-

---

1) Noct. Att. 4: 15.

2) Hand. de Stilo Lat. p. 58. Grysar. Stili Lat. theor. I. p. 6.

3) Real Encyclopedie der class. Alterthumswissenschaft von Pauly und Teuffel. VI. p. 696 ff.

4) Bæhr. l. l. II. p. 77. Bernhard. l. l. p. 601, 604.

tem et gravitatem veterum scriptorum potius quam sermonis ubertatem et copiam sequeretur. Qua tamen in re ita versatus est, ut prudenter caveret, ne, quum priorum imitaretur virtutes, in eorum quoque vitia incideret. Color autem ille antiquitatis non magis in verbis obsoletis, quorum quidem numerus haud ita magnus apud Sallustium exstat [1], quam in antiquis vocabulorum formis et in ratione ea scribendi conspicitur. Exstant igitur formæ, quæ sunt *colos* C. 15: 5; *honos* C. 20: 8: *labos* C. 7: 5; J. 100: 4; H. II: 50, 1; III: 82, 18; *lepos* C. 25: 5; *odos* J. 44: 4. Litera *u* sæpe utitur pro *i* in vocabulis quæ sunt: *aestumo*, *existumo*, *lacruma*, *legitumus*, *lubens*, *lubido*, alia; in superlativis forma antiquior, quæ exit in *umus* semper adhibetur; in gerundiis et gerundivis tertiæ et quartæ declinationis *undum*, *undus* scribitur [2]; *volgus*, *volnus*, *voltus*, *volt*, *vortere*, *voster* atque his similes formæ exstant; item pro adolescente, epistola reperiuntur *adulescens*, *epistula*. Deinde *jocundiora* J. 85: 41, *intellego*, *neglego*, *delego* atque alia ejusmodi. Sed ne Ciceronis quidem et Cæsaris libri ab antiqua illa, si ita eam appellari velis, ratione scribendi abhorrent, quam videmus et Madvigium et Nipperdejum viros illos doctissimos atque de his rebus optime meritos secutos esse; quam ob rem causam non habemus, cur in hac re nimium antiquitatis studium reprehendamus, si quidem Sallustius formas illas, quod sibi essent multo magis idoneæ, prætulerit. Præterea nonnulla ejusmodi sunt, de quibus jam inter se ita dissentiunt viri docti, vix ut, quod in quaque re veri simillimum sit, invenias; huc accedit, quod tanta est codicum inconstantia, ut de Sallustii ratione scribendi nihil fere certius judicari possit.

Brevitas illa Sallustiana a Quintiliano laudata, quamquam apud inscitos imitatores eam vituperabat, non magis in verborum paucitate cernitur quam in pressa rerum narratione et adstricta sententiarum comprehensione. Numquam enim Sallustius pluribus verbis utitur, quam necesse est ad res plane accurateque explicandas; omissis igitur omnibus rebus, quæ vel minoris sunt momenti vel e connexa verborum serie facile intelligi possunt, oratio celeriter et per brevia incisa progreditur, in iis modo, quæ ad rem vel maxime pertineant, insistens; qua in re posita est immortalis illa Sallustii velocitas, quam laudat Quintilianus [3]. Plura paucis ita complectitur, ut nihil sine detrimento sententiæ demi possit. Quum enim Sallustius prudenter videret brevitatem orationis

[1]) De qua re infra disputabimus.

[2]) Forma *poenitundum* J. 85: 28 Cortio sine dubio debetur, quum hæc forma secundæ declinationis nullo alio loco reperiatur. — Dietschius eam aspernatus *poenitendum* reposuit.

[3]) Inst. Orat. 10: 1, 102.

historico dicendi generi esse aptissimam, in ea ita elaboravit, ut singulis verbis singulas fere sententias subjiceret, quæ quidem brevitas, si modo perspicuitati orationis consulatur, laudem habet vel maximam, ac dici vix potest, quantam vim habeat ad gravitatem et fidem orationis augendam, quamque nervosum efficiant sermonem crebritas illa sententiarum atque verborum pondus. Quum enim ad ea tantum, quæ maximi sint momenti, historiarum scriptor animum intendat, ipsæ res verba rapuisse videantur necesse est; quum enim historici animo tanta rerum copia obversetur, fieri non potest, quin levioribus omissis ab una re ad alteram quam celerrime transeat. Is autem historiarum scriptor qui inutilem verborum copiam atque loquacitatem quandam sectatur, in eam suspicionem, credo, facile incurrit, ut gravium rerum inopiam inanium verborum strepitu occultare videatur. Neque vero defuerunt, qui nimium brevitatis studium atque obscuritatem in Sallustio reprehenderent, qua tamen in re haud scio an justo plus eum vituperaverint. Brevitatis quidem studiosissimus erat, obscuritate tamen sermo ejus omnino non laborat.

Quum autem sermo Sallustii sit pressa brevitate limatus, numerosam illam Ciceronis verborum comprehensionem et ambitum apud eum non inveniri apparet. Enuntiata enim enuntiatis sæpe potius addita sunt vel adjuncta quam inter se nexa apteque colligata, frequenter omissæ particulæ causales aut adversativæ, neque sententiarum inter se transitus ita sunt semper muniti ut leni et æquabili tractu fluere oratio videatur; quod quum in orationibus cernere licet, quippe quæ gravem, vehementem, incitatam dicendi rationem requirant — tum sæpe alias ac maxime iis locis, ubi in proeliis describendis versatur aut depravationem luxuriamque sui temporis graviter castigat. Ad brevitatem illam sermonis Sallustii adumbrandam haud scio an nihil aptius sit quam illud Ciceronis de Thucydide dictum: "*Thucydides*, inquit, *omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias utrum res oratione an verba sententiis illustrentur*" [1]).

Præter illud a Quintiliano laudatum [2]): *Mithridates corpore ingenti, perinde armatus* H. II: 56, nonnullos alios locos brevitate quadam insignes afferamus: C. 1: 1 *omnes homines — summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant.* — 38: 2 *Contra eos — nitebatur pleraque nobilitas, senati specie pro sua magnitudine.* — 52: 13 *Diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda ac formidolosa habere.* — J. 5:

---

[1]) De Orat. 2: 13, 56. [2]) Inst. Orat. 8: 3, 22.

4 *Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Italiae opes maxime attriverat.* — 29: 4 *quoniam deditionis mora induciae agitabantur.* — 44: 1 *Exercitus — sine imperio et modestia habitus.* — 47: 4 — *inter eas moras promissa legatorum exspectare.* — 50: 1 — *lassitudinem et sitim militum tentaturos.* — 73: 4 — *in utroque magis studia partium quam bona aut mala sua moderata.* — 83: 3 *Contra postulata Bocchi nuntios mittit.* Cfr. 25: 6. — 105: 4 *Timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et adversum eos, quos saepe vicerant.* Cfr. H. I: 45, 1. — H. I: 51, 3 *verbis et vatum carminibus pacem optatis magis quam defenditis*, ib. § 18 *ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet.* — II: 24 *inter laeva moenium et dextrum flumen.* — III: 82, 4 — *praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui* etc. — ib. § 13 — *neve otium pro servitio appelletis.*

Aliud deinde brevitatis studium in iis locis videmus, ubi figura illa, quam *Zeugma* vocant Grammatici, usus est; ut C. 17: 2 *omnes convocat, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat.* — 51: 7 *neu magis irae vestrae quam famae consulatis.* Cfr. J. 33: 3 *dignitati quam irae magis consulens.* — J. 3: 1 *Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura — cupiunda videntur.* — 14: 4 *cogor prius oneri quam usui esse:* § 23 *non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti.* — 28: 6 *Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia Africam transvectae.* — 42: 4 *multos mortales ferro aut fuga exstinxit.* — 46: 8 *pacem an bellum gerens.* — 54: 3 *agri ac pecoris magis quam belli cultorem.* 55: 1 *ut seque et exercitum more majorum gereret.* 63: 6 *alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat.* — 85: 28 *qui mihi summum honorem et maximum negotium imposuistis;* § 34 *illos arte colam, me opulenter.* — 103: 5 *Eos ille non pro vanis hostibus, sed accurate ac liberaliter habuit.* — 105: 3 *numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant.* 111: 2 *Affinitatem, cognationem, praeterea foedus intervenisse.* — H. I: 51, 3 *vobis dignitatem, illi metum detrahi.* — Tum verba nonnulla absolute posita inveniuntur: ut: *insequi* J. 50: 5; 51: 1; *incedere* C. 7: 3; 13: 3; J. 13: 7; 41: 3; *invadere* C. 2: 5; 10: 6; J. 41: 9; *persequi* J. 50. 6; *parare* C. 6: 5; J. 11: 8; 60: 1; 76: 4; *rapere* C. 11: 4; 12: 2; J. 41: 5; *retinere* J. 79: 6; *tentare* J. 23: 1; *trahere* C. 11: 4; J. 41: 5; *consumere* C. 12: 2; alia.

Postremo verbum substantivum *esse* omittitur; neque vero in iis tantum formis, quæ ab aliis omitti solent, ut: *est, sunt*, in primariis enuntiationibus, *esse*, in temporibus compositis Infinitivi; sed etiam in-

solentior hujus verbi ellipsis nonnullis locis exstat; ut: ad Genitivum Gerundii J. 88: 4 *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit;* in enuntiatione relativa J. 89: 5 *alia omnia — infesta serpentibus, quorum vis — inopia cibi acrior;* 111: 4 *Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissimus, quae utilia visa, constituunt;* H. III: 1, 9 *Hispaniam — vastavimus, praeter maritimas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique;* in temporibus compositis post *quum:* J. 71: 1 *sed quum hae literae allatae; ubi:* J. 77: 3 *Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere; postquam:* J. 109: 2 *Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit;* in conjunctivo modo J. 88: 6 *Id simulaveritne — an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est;* 113: 1 *Dolo an vere cunctatus, parum comperimus;* H. IV: 19, 2 *Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni et scelestissimi* (sc. essent); tempus imperfectum est omissum C. 25: 5 *Verum ingenium ejus haud absurdum;* J. 28: 5; 51: 1; 67: 1 *ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae ante clausae fugam prohibebant;* 90: 1 *ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate;* forma hujus verbi, quæ est *fore*, omissa J. 88: 4 *ita Jugurtham aut praesidiis nudatum (fore)* [1], *si ea pateretur, aut proelio certaturum (esse).*

Jam vero quamquam longiores illas ac quasi rotundas verborum comprehensiones, quas apud Ciceronem admiramur, in scriptis Sallustii non invenimus, exstat tamen artificiosa quædam non solum verborum sed etiam enuntiatorum inter se compositio, ita ut libri ejus speciem fere artis elaboratæ præ se ferant. Summa enim apud eum est æqualitas orationis atque concinnitas membrorum, ita ut verba verbis quasi dimensa et paria respondeant. In contrariis igitur opponendis sæpe versatur Sallustius et interdum ita quidem ut non solum universa enuntiata comparentur, sed singulis etiam singula opponantur verba; ut C. 12: 5 *At hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant.* Cfr. 46: 5; 61: 2. In qua membrorum oppositione eam verborum colloca-

---

[1]) Hanc dicendi consuetudinem a latino sermone alienam esse contendit Kritzius h. l., sed exstat tamen multis locis, ut Cic. Tusc. 3: 28, 69 *brevi tempore philosophiam plane absolutam fore.* Cæs. B. G. 4: 6 *omniaque — ab se fore parata.* Liv. 2: 34 *domitos ipsos potius cultores agrorum fore;* 5: 2 *id donum inimicorum veneno illitum fore;* 23: 13 *debellatumque mox fore, si anniti paullulum voluissent, rebantur;* 31: 13 *quid aliud quam publicatam — suam pecuniam fore.* Cic. Sull. 9: 27; Ep. ad Fam. 11: 7. — Forma illa usurpatur, ubi rem in tempore futuro absolutam cogitari volumus Cfr. Madv. Gr. §. 410 adn, 2. Zumpt. Gr. § 594.

tionem, quam vocant *Chiasmum*, frequenter adhibuit; ut C. 2: 5. 14: 2; 3. 46: 2. 61: 9. J. 2: 1. 7: 5. 45: 2. 64: 5. 83: 1. 85: 20; 40. 113: 2. H. I: 45, 15. 51, 7. II: 50, 6. Membrorum denique concinnitati nonnumquam ita indulsit Sallustius, ut structuris paulo insolentioribus uteretur; ut; J. 14: 16 *si omnia, quae aut amisi aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent.* 31: 10 *perinde quasi ea honori non praedae habeant.* 69: 3 *Civitas magna et opulens cuncta poenae aut praedae fuit.* 64: 1 *Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur.* 28: 6 *Legiones — Rhegium atque inde Siciliam transvectae.* 33: 4 *Romae Numidiaeque facinora ejus memorat.* 91: 5 *res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate coegere, ut deditionem facerent.*

Postremo Sallustium viri docti vituperarunt, quod ab usitato dicendi genere abhorreat; ac negari quidem non potest, eum a Ciceronis et Cæsaris loquendi consuetudine nonnihil recedere, ideoque multa in scriptis ejus reperiri, quæ ab iis possint vituperari, quibus unus Cicero perfectus atque politus scriptor videatur; sed in ea re tamen haud scio an Sallustium justo plus laceraverint. Nam quum sua cuique dicendi generi sit oratio neque oratorium genus ad res scribendas aptum sit et accommodatum, iis concedendum esse non putamus, qui omnia rejiciunt, nisi quæ ad hunc tamquam unum latini sermonis arbitrum atque judicem sunt conformata. At vero hoc quum dicimus, ita non est accipiendum, quasi negemus, Ciceronem omnium Romanorum de literis Latinis vel optime esse meritum; facile enim concedimus eum non solum ad Latinam linguam locupletandam atque ad totam omnino orationem conformandam plurimum contulisse, sed etiam in elegantia singulorum verborum et in iis collocandis et certa lege devinciendis ceteros longe superare; sed hoc dictum volumus, quum ei primas libenter tribuamus, aliis tamen suam esse præstantiam, suas virtutes. Quum enim Cicero ad historicum genus se numquam convertisset, fieri non potuit, quin historiarum scriptoribus locutiones, quæ apud illum non inveniebantur, interdum essent conformandæ; at vero non idcirco damnandi sunt neque nimium novandi studium in iis reprehendendum, quod inopia verborum ad alia, Ciceroni non usitata, iis erat confugiendum. Neque enim Latina lingua a Cicerone et Cæsare ita erat omnibus suis partibus et numeris perfecta atque expleta, ut incremento et accessioni nullus esset locus, neque, si modo ratione fiat, vitiosum est linguam novorum verborum copia augere et locupletare, id quod ab ipso Cicerone sæpe factum esse scimus.

Græcismos autem, quos vocant, existimatores intelligentes sibi videntur apud Sallustium sæpe deprehendere, sed in illud Quintiliani — "e Græco translata vel Sallustii plurima" — intuentes in eoque defixi Græcismum multis locis odorantur, ubi ne significatio quidem ejusmodi exstat [1]). Locutio autem illa: *quae ira fieri amat* J. 34: 1, ad Græcorum loquendi consuetudinem conformata videtur, sed in eo tamen vehementer erraruat viri docti, quod *ira* pro ablativo, *quae* pro nominativo plurali habebant, ita ut *quae* subjectum esset, ad quod referretur *amat.* Cfr. J. 41: 3; H. incert. 78. Græcismi reperiuntur J. 84: 3; 100: 4; 73: 5; H. II: 88; III: 64; inc. 44; 59. Omnino autem cavendum est, ne omnia, quæ speciem quandam Græcæ originis præ se ferant, ad Græcismum referas, quum multa ejusmodi sint, ut ex Romanorum usu et ratione dicendi facillime explicari possint. Ac Quintilianus, quum diceret, multa ex Græcis a Sallustio esse translata, id mihi videtur dixisse, sententias, quæ apud illos reperiantur, in Latinum sermonem sæpe convertisse Sallustium potius quam vestigia eorum ita premeret, ut eam structuram atque verborum conformationem, quæ Græcæ linguæ sit propria, sequeretur.

Neque vero Sallustius, si vestigia Ciceronis religiosissime non premit, ob eam tantummodo causam, ut nonnulli opinantur, parum latine locutus putandus est; sed tum demum sermo ejus vituperetur, quum a natura Latinæ linguæ abhorreat. Quum autem videmus viros doctos Sallustii Latinitati nihil admodum tribuere, ita ut eum e numero optimorum scriptorum ejicere velint, id quod Handius, Grysarius, alii jubent, facile adducimur ut credamus, eos præjudicatis quibusdam opinionibus vel judiciis veterum non sane satis examinatis ductos sermonem ejus damnare, præsertim quum apud eum nullas fere videamus exstare locutiones, quæ apud alios scriptores eosque illis probatos non inveniantur. Etenim sermonem Sallustii emendatum atque Latinum esse, intelligent profecto, qui scripta ejus diligenter inspicere velint. Quamquam enim a Ciceronis dicendi consuetudine nonnihil discrepat Sallustii

[1]) ut: C. 20: 3 *quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi;* ubi Cortius, ut exstaret Græcismus, vocab. *quae* omisit. J. 4: 4 *qui si reputaverint, et quibus ego temporibus — adeptus sum, et quales viri idem assequi nequiverint* etc. H. l. Græcismum vidit Gerlachius, non sentiens attractionem usitatissimam hic haberi pro: — *reputaverint tempora, quibus — adeptus sum;* vide Krueg. Gr. § 611. a. 3. Verisimile autem est, hunc locum ex conjectura Elberlingii scribendum esse: *qui si reputaverint et, quibus ego temporibus — adeptus sum, quales viri idem assequi nequiverint, et postea quae genera hominum in Senatum pervenerint.* Cfr. Dietsch. I. p. 225. — Græcismum præterea J. 5: 4; 33: 3; 49: 2 et aliis nonnullis locis exstare putarunt viri docti; sed h. l. vide, quæ de ea re disputavit Kritzius.

oratio ita tamen est pura, vix ut in ea quidquam insolens aut soloecum aut a natura linguæ Latinæ abhorrens deprehendas.

Sed ne sermonem Sallustii laudare potius quam existimare videamur, ea quæ diximus exemplis sunt comprobanda, ut appareat, quantum elocutio ejus ab usitato aureæ ætatis sermone abhorreat. Quum autem Ciceronis et Cæsaris scripta quasi exempla puræ et incorruptæ Latinitatis haud immerito habeantur, eam sequemur rationem, ut primum ea, quibus Sallustius ab utriusque dicendi consuetudine discrepat, exponamus, et ita quidem ut, quæ cum ceteris æqualibus vel aliis scriptoribus, qui in aliquo numero habeantur, ei sunt communia, commemoremus; deinde ea quæ exstant apud eum verba obsoleta, et quæ Sallustii sunt propria vel cum inferioris tantum ætatis scriptoribus communia; postremo nonnulla de grammatica elocutionis ejus ratione exponemus.

Primum igitur ea exponemus, quæ in verbis eorumque structuris et significationibus Sallustii sermo habet a Ciceronis dicendi consuetudine abhorrentia. Hæc fere sunt: *Abdicare* cum Accusativo junctum primus Sallustius usurpavit C. 47: 3, *abdicato magistratu* [1]); sæpius apud Livium (Cicero *abdicare se magistratu*) — *Abnuere de* aliqua re J. 84: 3, *Neque — de ullo negotio abnuere audebat.* — *Absolvere* (= exponere, commemorare) sequente *de*, C. 4: 3, *de conjuratione Catilinae — paucis absolvam;* cum Accusativo junct. C. 38: 3; J. 17: 2; H. I: 2. — *Accedere* junct. cum Accusativo, J. 18: 9, *Medi autem et Armenii accessere Libyes*; 20: 3, *pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit;* 62: 1, *Is — Jugurtham — accedit;* 71: 5 *Jugurtham placandi gratia accedit;* 97: 3 *Eo praemio illectus Bocchus — Jugurtham accedit;* — ut apud Liv. Nep. et Poetas. — Cicero *accedere ad*, *in* aliquem. — *Acceptio* J. 29: 4 *cujus rei species erat acceptio frumenti;* vox rarissima apud Ciceronem semel (Top. 8.) invenitur [2]). — *Accidere* insolentius de hominibus dictum vim habet irruendi J. 88: 6 *Id simulaveritne, quo improvisus gravior accideret;* 107: 6 *ac statim profecti, quia de improviso acciderant, incolumes transeunt* [3]). — *Adeptus* vi

[1]) Cortius h. l. ut Sallustium soloecismo liberaret, *abdicatus magistratu*, quod quidem nonnulli codices præbent, legebat; sed hæc locutio, quum apud quemquam alium non reperiatur, Sallustio non est injungenda.

[2]) Ut videtur concinnitatis causa propter proxima vocabula, quæ sunt: *donatio* et *deditio*.

[3]) Cfr. Cæs. Bell. Gall. 3: 14 missa a Gallis *tela* gravius *accidebant*. Cognatum est, quod *clamor*, *strepitus*, *sonus*, quo aures vehementer feriuntur, *accidere* dicitur. — Faber et Herzogius *accedendi* vocem h. l. prætulerunt.

passiva C. 7: 3 *Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit.* J. 101: 9 *jam adeptam victoriam retinere cupit.* Cfr. Tac. Ann. 1: 7. Sueton. Tiber. 38 [1]). *Adesse* pro aggredi, impugnare C. 52: 18 *jam omnes feroces aderunt;* J. 50: 4 *Numidae infensi adesse atque instare;* H. IV: 19, 18 *nos suspecti sumus aemuli, et in tempore vindices affuturi* Cfr. Liv. 22: 32; 25: 34. Tac. Ann. 4: 25. — *Admonere* junct. cum Accusativo [2]) pro Genitivo J. 79: 1 *eam rem nos locus admonuit.* — *Adolescere* insolenter dictum pro adhærescere, ut pæne concretum videatur; H. IV: 23 *coria recens detracta quasi glutino adolescebat.* — *Adoptatio* vox rarissima pro adoptione J. 11: 6 *nam ipsum illum — adoptatione in regnum pervenisse.* Semel apud Cic. Tusc. 1: 14, 31. — *Advenire* pro contingere alicui J. 111: 1 *amicitiam, foedus, Numidiae partem tunc ultro adventuram.* — Cfr. Liv. 45: 19. — *Adversus* cum Genitivo junct. J. 43: 1 *Metello acri viro et quamquam adverso populi partium* etc. — Cfr. Cic. Tusc. 4: 15, 34 hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. — *Advolvere* [3]) junct. cum Accusativo H. incert. 60 *genua patrum advolvuntur.* Tacit. Ann. 1: 13; 6: 49; 15: 71; H. 4: 8; apud Liv. et poet. cum Dativo junct. *Aequalis* pro plano J. 79: 6 *per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus;* — ut apud Plin. maj. Tac. Ovid. — *Aestimare* insolenter junctum J. 85: 41 *quod carum aestimant* pro: magni; cfr. Senec. Brev. Vit. 8. — *Aevum* vox poetarum pro ætate J. 1: 1 *Falso quaeritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis — regatur.* H. inc. 44 *in quis longissimo aevo plura de bonis falso in deterius composuit.* — *Affectare* pro: sibi conciliare studere J. 66: 1 *civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare.* Tac. H. 4: 66. Vellej. 2: 39. — *Affligere* junct. cum duplici Accusativo H. 2: 70 *circumventi — saxa aut quid tale capita affligebant.* — *Agere* pro esse, vivere J. 55: 2 *civitas laeta agere* [4]). 89: 7 *Africa, quae — incultius agebat* (insolenter de terra dictum). H. I: 8 *in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis agit;* cfr. I: 9; I. 27; I: 63; II: 50, 4 et 5 — *se agere* pro se gerere J. 56: 5 *tanta mobilitate sese Numidae agunt;* 98: 6 *ipsi duces — pro victoribus agere* (pronomine omisso); cfr. H, III: 82, 14 *morem agere.* — *Agitare* pro vivere J. 18: 9 *hi propius mare Africum agitabant;* 19: 5 *partim in tuguriis*

---

[1]) Ciceronis locum de Senect. 2: 4, *senectutem accusant adeptam* mutarunt in *senectutem accusant adepti.*

[2]) Quod fieri non solet nisi in neutr. adject. vel pronom.

[3]) Apud Ciceronem et Cæsarem non invenitur, illi enim vocabula *accidendi, procumbendi* et *projiciendi* usurparunt.

[4]) Ubi Herzog. *laeta* accus. plur. esse male judicavit.

— *agitare;* pro: se sustinere, vitam sustinere H. I: 45: 11 *agitandi inops;* III: 1, 9 *nunc malis fructibus ipsa vix agitat;* — pro se gerere C. 23: 3 *ferocius agitare, quam solitus erat;* J. 63: 5 *in potestatibus eo modo agitabat;* — cfr. C. 9: 5 *imperium agitare* J. 14: 10 *pacem agitare;* 29: 6; 29: 4 *induciae agitabantur;* 81: 4 *moras;* 109: 2 *pacem an bellum;* — H. I: 61 *fugam agitare* pro: de fuga cogitare. — *Algor* pro usitatiore frigore C. 5: 3 *Corpus patiens — algoris.* — Tac. H. 3: 22. — *Aliquantus* J. 74: 3 *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti;* 105: 4 *timor aliquantus;* H: II: 29, 5 *quibus rebus aliquantam partem gloriae demiserat;* — apud Ciceronem et Cæsarem *aliquantum* neutr. in nom. et accus. tantummodo exstat. — *Alius* de duobus pro altero C. 54: 1 *Igitur his* (Cæsari et Catoni) — *magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii.* Liv. 1: 21; 1: 25. — *Amare* sensu obscoeno (ut apud Plaut: Terent. Horat.) C. 11: 6 *Ibi primum insuevit exercitus — amare, potare;* J. 85: 41; *quin ergo — ament, potent;* — ut φιλεῖν apud Græcos J. 34: 1 *clamore — atque aliis omnibus, quae ira fieri amat* [1]); H. inc. 78 — *vulgus amat fieri.* Cfr. J. 41: 3; Horat. Sat. 1: 4, 87; 1: 10, 60; Od. 2: 3, 10; 3: 16, 9; Tac. Ann. 4: 9, 2. — *Amittere* pro dimittere H. inc. 51 *pactione amisso Publio legato;* (Plaut. Terent.) — *Annectere* insolenter junct. H. IV: 17 *operimenta, quae linteis laminis — annexuerant* pro: quibus linteas laminas — annexuerant. — *Anniti* absolute positum C. 19: 1 *Postea Piso — missus est, annitente Crasso;* J. 85: 47 *annitimini mecum et capessite rempublicam.* H. IV. 19 *nullo circum annitente;* Liv. 21: 8. — *Annuere alicui rei* pro probare H. I: 45, 25 *annuite legibus impositis;* rarior illa structura reperitur Tac. Ann. 12: 48; 15: 16; Virg. Georg. 1: 40; Aen. 9: 625. — *Ante* aliquem esse pro superare C. 53: 3 *gloria belli Gallos ante Romanos fuisse;* cfr. J. 10: 7 *ante hos te decet;* 15: 1 *neu verba ante facta ponerent;* ita Livius quoque, Tacitus, alii, locuti sunt, numquam autem Cicero; vide Hand. de part. lat. Vol. I p. 386. — *Anteeapere* pro eo, quod est apud Ciceronem antevertere, prævertere C. 55: 1 *noctem;* J. 21: 3 *tempus legatorum* C. 13: 3 *non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu anteeapere* [2]). — *Antevenire* pro prævertere, superare J. 48: 2 *exercitum Metelli antevenit;* 56: 2 *magnis itineribus Metellum antevenit;* 88: 2 *consilia et insidias eorum antevenire;* — 4: 7

---

[1]) Hunc locum interpretes inde a Cortio ita perverse intellexerunt, ut *ira* pro ablativo, *quae* pro nominativo plurali haberent. Cfr. Kritz. h. l.

[2]) Quem locum Kritzius hoc modo explicat: "harum rerum appetitum arte excitare, non exspectantes, donec natura desiderium faceret", — Cfr. Senec. Consol. ad Helv. 9 *vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

qui per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire; 96: 3 *neque consilio neque manu priorem alium pati, plerosque antevenire*; Tac. Ann. 1: 63; 4: 18 — *Antiquitas* insolenter dictum pro: studio H. I: 15 *tantum antiquitatis curaeque majoribus pro Italica gente fuit* [1]. — *Anxius* (apud Ciceronem et Cæsarem absolute positum) junct. cum Ablativo J. 11: 8 *ira et metu anxius*. H. I: 57 *neque illis anxius*; (Liv. Tac. Poetæ) — sequente *ne* J. 6: 3 *ne qua seditio — oriretur anxius erat* i. e. metuebat; cfr 70: 5. — *Anxie* J. 82: 3. — *Aptus* pro aptato H. III: 86 *socordius ire milites occoepere non aptis armis* [2]). Cfr. Liv. 5: 49; 10: 33; 22: 5. — *Ardere in* cupiditatibus C. 5: 4; — poetarum more sequente infinitivo J. 39: 5 *persequi Jugurtham et mederi fraternae invidiae animus ardebat*. — *Arrigere* vox fere poetarum pro erigere C. 39: 3 *vetus certamen animos eorum arrexit*; J. 23: 1 *suos hortando ad virtutem arrigere*; 68: 4 *sic animis eorum arrectis*; 84: 4 *eos non paulum oratione sua Marius arrexerat*; 86: 1 *postquam plebis animos arrectos videt*; 93: 7 *consulis animus tamen paulum arrectus*; H. I: 51, 8 *Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae*; (Liv.) — *Assidere* more poetarum cum Accusativo junct. H. IV: 1 *Amisumque assideri sine proeliis audiebat*. — Cfr. Liv. 21: 25; Tac. Ann. 6: 43. — *Assidere* cum Accusativo junctum apud solum Sallustium videtur reperiri J. 11: 3 *dextera Adherbalem assedit*. — *Atterere* (Ciceroni in participio tantummodo usitatum) pro imminuere C. 16: 2 *ubi eorum famam atque pudorem attriverat*; J. 5: 4 *Hannibal — Italiae opes attriverat*; 79: 4 *alteri alteros aliquantum attriverant*; 85: 46 *nam magna pars ejus avaritia aut temeritate ducum attrita est*. — *Attinere* pro retinere J. 108: 3 *sed ego comperior Bocchum — simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse*; H. I: 51: 16 *neu — inquies ipse nos in sollicitudine attineas*; sæpe apud Tacit. — *Attonitus* poetarum vox Ciceroni et Cæsari non usitata apud Sallustium semel reperitur H. I: 88 *Sic vero quasi formidine attonitus*; — sæpe apud posteriores. — *Audacia* sensu bono C. 9: 3 *Duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate seque remque publicam curabant*; 51: 37 *Majores nostri — neque consilii neque audaciae umquam eguere*; 58: 2 *quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest*. ib. 15 *si haec relinquere vultis, audacia opes est*; ib. 17 *audacia pro muro habetur*. —

[1]) Contra loquendi consuetudinem Sallustius substantivo eam vim tribuit, quæ tantummodo in adjectivi formis *antiquius* et *antiquissimum* inest, quæque eo constat, quod non *temporis* remoti ac dudum præterlapsi sed *loci atque ordinis prioris* et propter id ipsum gravioris ac melioris notio, ex *ante* voce repetenda, usu obtinuit". Kritz.

[2]) De hac vocabuli significatione prorsus tacuerunt Lexicographi.

Ita Livius et Tacitus sunt locuti. — *Audere* junct. cum Accusativo ut apud Livium, Tacitum, alios; J. 107: 4 *nihil illum palam ausurum;* H. I: 41, 15 *nihil ausus;* ib. 20 *quantum audeatis;* inc. 28 *multa nefanda ausi atque passi;* — insolentius paulo absolute positum IV: 19, 20 *audendo et fallendo magni facti.* — Cicero hoc vocabulum jungit cum Infinitivo, itaque plurimis locis apud Sallustium exstat. — *Augere* pro incrementum capere H. I: 51, 6 *ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse;* insolentius quidem, sed eodem modo Cato apud Gell. (18: 12 *eo res eorum auxit)* locutus est. — *Auxilia* insolentius paulo pro *auxilio* C. 52: 29 *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur;* H. II: 50, 1 — *quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis et virtute mea.* — *Avius* Ciceroni non usurpatum J. 54: 9 *nocturnis et aviis itineribus;* vocabulum a historicis et poetis frequentatum.

Bonus aliqua re pro eximio, præstanti J. 7: 5 *bonus consilio;* cfr. 13: 1; 49: 2; — pro idoneo, apto, J. 17: 5 *ager bonus pecori.* Cfr. Liv. 29: 31 *mons pecori bonus alendo erat.*

Captivus de rebus inanimis H. IV: 19, 8 *ager captivus;* ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum. — *Carptim* C. 4: 2 *statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere;* cfr. Plin. Epp. 6: 22 *egit carptim et κατὰ κεφάλαια* — *Casus* pro commoda occasione J. 25: 9 *aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum;* 56: 4 *fortunam illis praeclari facinoris casum dare;* sæpe apud Tacitum. — *Catervatim* J. 97: 4; ut apud Liv. et Virgil. — *Causari* pro: causam afferre, fingere H. V: 13 *sed ubi ille militum voluntatem causatus* [1]). — *Cavere* sequ. Infinitivo ut apud poetas, J. 64: 2 *caveret id petere a populo Romano.* — *Cedere* pro eo, quod est apud Ciceronem: procedere C. 26: 5 *Catilinae neque petitio neque insidiae — prospere cessere;* 52: 29 *prospere omnia cedunt;* J. 20: 5 *quia tentatum antea secus cesserat.* Cfr. Nep. Datam. 1: 2. — *Censere arma* H. III: 82, 17 breviter pro: arma capienda. Cæs. Bell. G. 7: 77. Liv. 10: 12 [2]). *Cervices* insolenter junct. H. III: 1, 4 *hostes in cervicibus Italiae agentes — summovi.* — *Ceteri* in singulari numero C. 13: 3 *Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat;* 36: 2 *ceterae multitudini diem statuit;* 43: 1 *cetera multitudo conjurationis;* 52: 31 *Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat;* 59: 5 *post eas ceterum exercitum in subsidiis locat;* J. 61: 2 *ceterum exercitum in provinciam — collocat;* 89: 6 *Capsenses una modo, atque ea intra oppi-*

---

1) In eo igitur errat Krebsius, Antib. p. 207, quod voce illa quemquam ante Livium scriptorem usum esse negat.

2) Cfr. J. 84: 1 *jubere legem;* C. 30: 6 *decernere praemium.*

dum, jugi aqua, cetera pluvia utebantur; 92: 5 *erat inter ceteram planitiem mons saxeus.* — *Circum* adverbii vim habet H. II: 83 *omnes, qui circum sunt;* IV: 19, 14 *nullo circum annitente;* ib. 15 *ego vastis circum omnibus locis in Armeniam concessi.* Cfr. Cæs. Bell. Civ. 2: 10. — *Circumgredi* H. IV: 19, 21 *si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum;* quæ vox argentea demum ætate coepta est frequentari. — *Circumvenire* insolenter dictum J. 68: 2 *planitiem locis paullo superioribus circumventam.* Cfr. Curt 5: 1, 28 — *Cis* de tempore usurpatum ut apud Plautum, H. III: 70 *quae cis paucos dies juncta in armis sunt.* — *Civilis* = comis, vel quod civem decet, J. 85: 35 *Hoc est utile, hoc civile imperium;* ita sæpe apud argenteæ ætatis scriptores. — *Claritudo* pro claritate J. 2: 4 — *artes animi, quibus summa claritudo paratur;* 7: 4 *in tantam claritudinem brevi pervenerat;* vox illa Ciceroni, Cæsari, aliis non usitata apud Tacitum sæpe reperitur. — *Clemens* significatione a moribus ad res translata, ut apud poetas, J. 22: 1 *rumor clemens erat* i. e. non nimius. Cfr. Tac. Ann. 13: 38. Germ. 1. — *Coalescere* vox Ciceroni non usurpata C. 6: 2 *Hi — quam facile coaluerint;* J. 87: 3 *novi veteresque coaluere;* 93: 4 *grandis ilex coaluerat inter saxa;* Livius, Tacitus, Quintilianus hoc vocabulum frequentarunt. — *Coepisse* formam activam Infinitivo passivi, excepto uno tantum loco J. 27: 2, semper adjungit, ut C. 12: 1; 51: 40; J. 41: 10; 92: 1; H. III: 77, 9; III: 80; quæ quidem structura apud Ciceronem rarior est, exstat tamen Brut. 27: 106. — Infinitivo non addito J. 33: 4 *ubi silentium coepit;* 62: 7 *quum primum deditio coepit,* 85: 17 *quibus ex virtute nobilitas coepit;* 91: 4 *sed ubi dies coepit;* illa loquendi consuetudo a Livio non ita sæpe usurpata a posterioribus est recepta; — cum Accusativo junct.; qui est poetarum mos, H. IV: 19, 13 *bellum coepi;* cfr. Liv. 42: 47. — *Coeptare* vox fere poetarum et Taciti semel apud Sall. H. I: 51, 16 *perge qua coeptas.* — *Cogere aliquid* poetarum more pro: aliquid facere vel ut faciat aliquid H. II. 50, 6 *id res cogit.* Cfr. Liv. 4: 26; 23: 10. — *ad aliquid* J. 85: 3 *cogere ad militiam eos* [1]); — *Cognomentum* vox Tacito usitata pro cognomine: H. IV: 50 *collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit.* — *Colere* insolenter pro habere J. 85: 34 *neque illos arte colam, me opulenter;* — *Collibet* personaliter dictum C. 51: 9 *matres familiarum pati, quas victoribus collibuissent* [2]). — *Collocare* insolenter junct. J. 61: 2 *exercitum in provinciam — hiemandi gratia collocat;* rarior structura Plauto et Terentio usurpata pro

[1]) Hanc structuram latinam esse negavit Krebsius Antib. p. 221; rarissima quidem est, exstat tamen Liv. 4: 22; 10: 11; 23: 1; 34: 18; et apud Senecam nonnullis locis.

[2]) Cfr. Ruddimanni Institut. Gramm. I p. 271 adn. 42.

eo, quod est apud Ciceronem et Cæsarem: *collocare in* sequ. ablativo. — *Commori* vox rarissima H. I: 91 *obviam ire et commori hostibus* [1]). *Comperiri*, hujus vocabuli forma deponentis apud solum Sallustium videtur exstare J. 45: 1 *Metellum — sapientem virum fuisse comperior;* 108: 3 *Sed ego comperior;* ceteris locis forma usitata reperitur. — *Competere* pro valere, compotem esse H. I: 88 *neque animo neque auribus aut lingua competere* [2]); vox fere argenteæ ætatis. — *Concedere* pro venire C. 20: 7 *postquam respublica in paucorum potentium jus atque dicionem concessit;* H: I: 11 *quorum in gratiam plerique concesserant;* J. 18: 12 *victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere* i. e. abierunt. Cfr. Liv. 29: 29. — *Condere* insolenter junct. H. IV: 19, 17 *Romanos peste conditos* (Cfr. Virgil. Aen. 1: 33 *tantae molis erat Romanam condere gentem);* 1: 75 *cui nomen oblivionis condiderant.* — *Confertim* J. 50: 5; vox illa rarissima exstat apud Liv. 31: 43. — *Confidere* absolute ponitur, id quod rarissimum est, J. 13: 9 *Igitur ubi legati satis confidunt, — senatus utrisque datur.* — *Conjurare* insolenter cum Infinitivo junctum C. 52: 24 *conjuravere nobilissimi cives patriam incendere* [3]). — *Conscientia de aliqua re* C. 35: 2 *ex nulla conscientia de culpa;* insolentior illa quidem structura, sed cfr. Cic. Att. 2: 24 *his de rebus conscium esse Pisonem.* — *Conscius* cum Dativo personæ insolenter jungitur C. 22: 2 *alius alii tanti facinoris conscii;* ut Curt. 6: 10; 8: 7; Tac. Ann. 1: 43. — sensu prægnanti pro mali conscio C. C. 14: 3 *omnes, quos — conscius animus exagitabat;* J. 40: 2 *Huic rogationi partim conscii sibi — resistere non poterant;* locutio fere poetarum. — *Conspicari* pro conspicere [4]) J. 49: 4 — *quum interim Metellus, ignarus hostium monte degrediens, cum exercitu conspicatur* (eos); vox illa Ciceroni non usurpata a Cæsare, Plauto, Terentio frequentata est. — *Conspici* pro: oculos in se convertere C. 7: 6 *sic se quisque — conspici dum tale facinus faceret properabat;* ita sæpe apud Livium. — *Consternari* pro eo, quod est apud Ciceronem: perterrere, perturbare, H. I: 98 *Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur* [5]). —

[1]) Cfr. Senec. Ep. 77.

[2]) Cfr. Tac. Ann. 3: 46 *oppidani neque oculis neque auribus satis competebant;* H. 3: 73 *Velut captus animi non lingua non auribus competere.* Inversa autem structura Liv. 22: 5 *ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus.*

[3]) Structura illa poetica ad Græcorum dicendi consuetudinem videtur accommodata esse.

[4]) Non passiva vi, ut docet Forcellin. in Lexico. Cfr. de hac re Kritz. l. l.

[5]) Priscianus 8: 15, 83 monet verbum non passivum sed deponens esse, ita ut significet perturbationem facere. Hunc locum silentio præterierunt Lexicographi.

Consuefacere pro assuefacere J. 80: 2 *Gaetulos consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare;* vox potissimum Terentii. — *Consuetus* poetarum fere vox pro solito, usitato J. 15: 5 *animum a consueta lubidine continuit;* 85: 7 *ita fui, ut omnes labores, pericula consueta habeam;* 100: 5 *pars quod a pueritia consuetam duritiam habuisset.* — *Consulere* cum adverbio junctum (quam structuram prorsus aspernatus est Cicero) sæpe apud Sallust. invenitur, ut: C. 51: 4 *male;* 52: 29 et J. 92: 2 *bene;* J. 13: 8 *gravius*, 95: 3 *honestius.* — *Consultare* cum Dativo junct. pro: consulere solus Sall. usurpavit C. 6: 6 *delecti — reipublicae consultabant.* — *Consultor* apud Sallustium is semper est, qui alicui dat consilium J. 64: 5; *cupidine atque ira, pessimis consultoribus, grassari* [1]); 85: 47 *in proelio consultor idem et socius periculi;* 103: 7 *ab eo petunt, ut fautor consultorque sibi assit;* H. I: 51, 1; III: 82, 15; inc. 57. Cfr, Tac. Ann. 6: 10, — apud Ciceronem eum designat, qui consilium ab aliquo petit. — *Contactus* pro contagione, ut apud Tacit. et poetas, H. I: 51, 9 *licentiam scelerum, quasi tabem, ad integros contactu procedere.* — *Contemptor* (vox Ciceroni non usurpata) J. 64: 1 *animus;* vocabulum ab argenteæ ætatis scriptoribus frequentatum. — *Contra ea* pro: contra, Ciceroni non usitatum, Cæsar, Livius, Nepos dixerunt; semel apud Sall. J. 85; *sed mihi contra ea videtur.* — *Convenire* insolentius usurpatum J. 112: 2 *saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam* (pro: *quae convenisset*, ut exstat J. 38: 10) *frustra fuisse;* hanc loquendi consuetudinem vix apud alium reperias, nisi in formula illa *pactum conventum* Cic. de Or. 2: 24, 100. — *Conventio*, rarior illa vox pro convento, semel legitur H. incert. 24 *quae pacta in conventione non praestitissent;* Liv. Tacit. — *Copia* insolenter junct. J. 111: 1 *Jugurthae copiam habere* pro: Jugurthæ adeundi copiam habere. — *Creditum* pro pecunia credita C. 25: 4, ut apud posterioris ætatis scriptores. — *Cultus* C. 13: 3 *lubido stupri, ganeae, ceterique cultus*, in malam partem dicitur pro mollitia, deliciis, luxu. Cfr. Liv. 29: 21. — *Cunctari* sequente enuntiatione relativa pro: deliberare C. 52: 31 *vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini;* ut apud Suetonium. — *Cupido*, vox Ciceroni non usurpata pro: cupiditate [2]), sæpe apud Sallustium, ut: C. 3: 5; 7: 3; 10: 3; 13: 3; J. 1: 4; 6: 3; 19: 1; 20: 6; 25: 7; 37: 4; 42: 2; 63: 2; 64: 1 et 5; 89: 6; 93: 3 H. I: 51, 7 et 11; IV: 19, 5; incert. 63. — *Cupitum* vim substantivi habet H. IV: 58 *ut mox cupitis ministram haberet, decre-*

---

[1]) Ubi animadvertendum est hoc vocabulum commune esse.

[2]) Quod vocabulum tribus tantummodo locis apud Sall. exstat C. 2: 1; 5: 2; 21: 4.

verat. Cfr. Tac. Ann. 4: 3. — *Curare* absolute positum pro præesse, administrare C. 59: 3 *C. Manlium in dextera, Faesulanum quendam in sinistra parte curare jubet;* J. 46: 7 *in postremo Marius cum equitibus curabat;* 57: 2 *legatis imperat, ubi quisque curaret;* 60: 1 *Ubi quisque legatus aut tribunus curabat;* ib. 5 *nam is in ea parte curabat;* 100: 2 — *in sinistra Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortes Ligurum curabat* [1]). — *Curvus* pro inflexo, adunco H. IV: 35 *ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiae;* vox illa poetis usitatissima apud nullum alium solutæ orationis scriptorem videtur exstare.

De paulo insolentius materiam designat, ex qua quid factum est H. III: 58 *vestes de pellibus.* — *Decedere Romam* paulo insolentius pro: provincia decedere et Romam se conferre. — *Decet* insolenter junctum cum Dativo H. I: 100 *locum editiorem, quam victoribus decebat, capit;* ut apud Plaut. et Terent. — in plurali numero J. 49: 2 *quae ab imperatore* (provideri) *decuerint, omnia suis provisa,* rarior illa quidem structura, sed exstat tamen Quintil. Inst. Or. 6: 1, 25; 8: 6: 42; 11: 1, 42 et 48. — *Declinare in aliquid* pro: vertere H. II: 36 *adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando.* — *Deducere* cum Ablativo, non addita præpositione, J. 39: 4 *omnis exercitus Numidia deductus;* (apud Ciceronem et Cæsarem *deducere de, ex, a.)* — J. 44: 5 *vigiliae deducebantur;* insolentior locutio ad similitudinem vocis *coloniam deducere* expressa. — *Defensare* J. 26: 1 *quorum virtute moenia defensabantur;* 60: 3 *qui moenia defensabant;* 97: 5 *alios ab hostibus defensabant;* hoc vocabulum Cicero aspernatus est, qui dicit *defensitare.* — *Defluere* sequente Ablativo sine præp. H. II: 38 *flumen Durda Tauro monte defluens.* — *Degredi* a Cicerone et Cæsare non usurpatum bis legitur apud Sallustium J. 49. 4 *monte degrediens;* 50: 1 *Sed ubi Numidas quietos neque colle degredi animadvertit;* sæpe apud Livium et Tacitum. — *Degustare* insolentius junctum C. 22: 2 *inde* (ex eo) *quum omnes degustavissent;* pro usitato loquendi usu: aliquid degustare [2]). — *Dehonestamentum* pro dedecore H. I: 45, 21 *Fu-*

---

[1]) Hoc loco animadvertenda est duplex hujus vocabuli structura, primum enim absolute, ut plerumque, est positum; deinde cum Accusativo junctum, ut apud Tacit. Ann. 1: 31; 4: 36; 6: 30.

[2]) Hoc loco Kritzius quidem dixit *degustare* absolute esse positum aut *sanguinem* supplendum, atque *inde* pro *deinde* habendum; quum autem degustare translata significatione cum præp. *ex* junctum reperiatur apud Ciceronem (Cluent. 26: 72; Att. 1. 16. 4), non video causam, cur eadem structura in proprio vocabuli sensu prorsus sit rejicienda. Præterea Sallustius *inde* pro *deinde* numquam, quod quidem sciam aut animadverterim, usurpavit,

fidius, *ancilla turpis*, *honorum omnium dehonestamentum;* — pro deformitate H. I: 57 *quae facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxime laetabatur*. Tac. H. 4: 13; Ann. 12: 14; 14: 21. — *Dehortari* insolenter junctum J. 31: 1 *Multa me dehortantur a vobis;* locus brevitate insignis pro: multa me hortantur, ne rerum vestrarum curam suscipiam; — sequente Infinitivo J. 24: 4. Cfr. Tacit. Ann. 3: 16. — *Delenimentum* H. III: 82: 21. *Itaque simul comparant delenimenta;* vox illa æqualibus Sallustii non usitata frequens est apud Liv. et Tac. — *Demissus* insolenter de hominum externa conditione dicitur C. 51: 12 *qui demissi in obscuro vitam habent.* — *Densere* vox fere poetarum H. II: 68 *ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem.* — *Dependere* poetis et argenteæ ætatis scriptoribus vocabulum usitatum H. IV: 48 *malo dependens verberabatur.* — *Deprecari* insolentiorem vim habet J. 104: 4 — *errasse regem et Jugurthae scelere lapsum deprecati sunt* i. e. deprecantes dixerunt. — *Descendere* translate dicitur de rebus J. 11: 7 *verbum in pectus descendit;* ut locuti sunt Liv. 1: 19; 3: 52; Seneca Benef. 1: 1; Ep. 94. — *Descensus* C. 57: 3 *qua illi descensus erat in Galliam properanti;* hoc verbum, cujus haud ita frequens est usus, apud Virgilium et Plinium invenitur. — *Desinere* cum Accusativo junctum H. I: 25 *bellum, quibus posset conditionibus, desineret* i. e. bello — finem imponeret. Cfr. Cic. Fam. 7: 1 *artem desinerem;* ubi significat omittere, cessare ab aliqua re. — *Despectare* poetarum fere vox H. II: 40 *agros despectantem* [1]). — *Deterrere proelio* J. 98: 5 rarius pro eo, quod est apud Ciceronem: deterrere *a* vel *de* aliqua re (ut Jug. 50: 6). Cfr. Horat. A. P. 391. — *Detractare* insolenter junctum J. 53: 8 *adversae res etiam bonos detractant;* pro de bonis vel de fama bonorum detrahere. Cfr. Tac. Dial. de Or. 11. — *Dilabi* de tempore dicitur J. 36: 4 *sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat;* locutio illa a Sallustio solo usurpata idem ac *tempore frustra contrito* videtur valere. — *Dilargiri* vox rarissima passivam vim in part. præt. habet H. I: 36 *igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis.* — *Dimovere* poetarum vox J. 42: 1 *quos spes societatis a plebe dimoverat.* — *Discernere* proprie dictum, ut apud Livium, poetas et posteriores, J. 79: 3 *neque mons erat, qui fines eorum discerneret;* apud Ciceronem semper translate dicitur. — *Discessio* vox rarior pro discidio H. I: 10 *discessio plebis a patribus;* a Cicerone usurpata de senatorum more,

[1]) Cfr. Liv. 36: 25. Apud Tacitum translate pro contemnere Ann. 2: 43; H. 2: 30.

quo usi sunt ad sententiam proferendam. — *Disjicere* pro dissipare, dispergere C. 61: 3 *pauci, quos medios cohors praetoria disjecerat;* J. 50: 6 *disjectos ab tergo aut lateribus circumveniebant;* 53: 3 *postquam eos impeditos atque ita disjectos circumveniri vident;* hoc verbum, cujus est apud veteres haud ita frequens usus, apud posteriores sæpe invenitur. — *Dissimulare de conjuratione* C. 47: 1; rarior illa structura pro: dissimulare aliquid. — *Dissimulator* C. 5: 4. — *Dolere* pro: dolorem afferre J. 84: 1 *alia praeterea magnifica pro se, et illis dolentia;* quæ dicendi ratio Plauto et Terentio usitata est, neque eam Cicero prorsus aspernatus videtur; cfr. De Orat. 1: 53, 230. — *Ducere modestiam in conscientiam* J. 85: 26 insolenter quidem dictum pro: conscientiæ, sed congruit tamen cum Sallustii consuetudine dicendi; cfr. J. 41: 5; 82: 3; 92: 2; H. II: 36.

Effetus pro infirmo, viribus exhausto vox apud aureæ ætatis scriptores rarissima C. 53: 5 *sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat, ac, sicut effeta aetate parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit* [1]. *Egere* cum Genitivo jungitur, quæ est apud Ciceronem rarior structura, C. 51: 37 *neque consilii neque audaciae umquam eguere;* J. 14: 17 *omnium honestarum rerum egens;* ib. 23 *ipse auxilii egens;* 31: 29 *haud saepe auxilii egeas;* 43: 3 *in bello vario et multarum rerum egenti;* 89: 5 *alia omnia vasta, inculta, egentia aquae;* 110: 3 *fuerit mihi eguisse aliquando amicitiae tuae;* H. II: 50, 4 *egens alienae opis;* cum Ablativo junct. ut apud Ciceronem, C. 1: 7; J. 1: 3; 14: 3. — *Egestas*, quæ vox a Cicerone absolute ponitur, cum Genitivo objecti jungitur pro inopia C. 58: 6 *frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet;* J. 44: 4 *pabuli egestas.* Cfr. Tac. Ann. 6: 23; H. 4: 35. — *Egredi* cum Accusativo junctum J. 110: 8. *Ego flumen Mulucham non egrediar;* H. I: 87. *Gens raro egressa fines suos;* III: 36 *postquam egressus angustias;* ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum. — *Ejicere* junct. cum Ablativo J. 14: 8. *Verum ego his*

---

[1]) Ita ex conjectura Dietschii legimus. Quum enim consensu omnium fere librorum exstet *sicut effeta parentum*, veri simillimum sane videtur vocabulum ob similitudinem literarum a librario omissum fuisse. Hanc conjecturam Kritzius quoque, vir ille doctissimus ac de scriptis Sallustii vel optime meritus, in editione minore dicitur esse amplexus. Obscuritatem loci sentientes alii alio modo eum emendare atque explanare conati sunt; de qua re vide Kritz. (Catil. p. 284 sqq.). Fabrum (Sallustii Opera p. 157), Herzog. (Cat. p. 333 sqq.).

finibus ejectus sum; H. I: 49 *magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate ejecta;* rarissimum pro: ejicere *ex*, *de* vel *a*. — *Emergere fundo* H. IV: 37; *ex* præpositionem Tacitus quoque omisit Ann. 1: 65. — *Enitescere* C. 54: 4 *ubi virtus enitescere posset;* vox argenteæ ætatis pro enitere. — *Eniti* passive usurpatum J. 25: 2 *summa ope enisum*, *ne tale decretum fieret;* — sequente Infinitivo J. 14: 1 ut apud Terent. et Horat. pro: eniti, ut. — *Escendere equos* J. 97: 5 ut apud Tacit. pro eo, quod est Ciceronis: *escendere in* sequente Accusativo substantivi. — *Esse;* de hujus vocabuli usu apud Sallustium hoc loco est animadvertendum, id cum adverbio junctum innumerabilibus fere locis apud eum exstare (Vide Dietsch. II pag. 372), quod quidem rarius est in scriptis Ciceronis. — *Excedere radicem montis* H. inc. 6, pro usitato: excedere sequente *ex* præp. vel solo Ablativo [1]). — *Excidium* H. I: 10 *post Carthaginis excidium;* VI: 19, 12 *Cretenses impugnati semel jam*, *neque finem nisi excidio habituri;* vox poetarum et Augusteæ ætatis pro eversione. — *Excire;* apud Sallustium nulla alia hujus vocis forma nisi Part. perf. pass. reperitur, C. 15: 4; 37: 7; J. 72: 2; 99: 2; in scriptis Cæsaris et Ciceronis hoc vocabulum vix invenias. — *Exigere vitam* J. 14: 15; 85: 49; locutio illa poetarum significare videtur: vitam trahere, ad finem perducere. — *Exitium* pro exitu, fine C. 55: 6 *Ita ille — dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit.* — *Exordiri* cum Accusativo junctum, ut apud Livium et Plautum, H. IV: 73 *magnam exorsus orationem;* pro: exordiri *ab* aliqua re vel sequente Infinitivo. — *Expedire* pro exponere, ut locuti sunt poetæ et argenteæ ætatis scriptores, J. 5: 3 *priusquam hujuscemodi rei initium expedio.* — *Expers* insolenter cum Ablativo jungitur C. 33: 1 *omnes fama atque fortunis expertes sumus;* quam structuram apud Plautum quoque invenimus. — *Expurgare* vim habet excusandi C. 31: 5; J. 69: 4; *purgandi* vocabulo usus est Cicero. — *Exquirere aliquem* pro: sententiam alicujus, quam locutionem vix apud alium reperias, C. 50: 1 *exquirebant duces multitudinum.* — *Exscindere* pro funditus evertere H. IV: 19, 17. — *Exsilium* de ipso exsilii loco dicitur H. III: 73 *qui nullo certo exsilio vagabantur.* Cfr. Curt 6: 4; Tac. H. 4: 44; Virg. Aen. 3: 4. — *Exspirare* poetarum fere vox pro mori H. I: 35 *ut per singulos artus exspiraret.* Liv. 2: 20; 28: 19. — *Exsul* cum Ablativo insolenter jungitur J. 14: 17. *Nunc vero exsul patria*, *domo*, *solus:* Apud Ciceronem absolute ponitur vox illa, a poetis interdum

[1]) Cum Accusativo jungitur hoc vocabulum etiam a Livio, Quintiliano, Tacito, aliis, præcipue translata significatione.

cum Genitivo conjuncta. — *Exsuperare* C. 51: 8 *sin magnitudo scelerum omnium ingenia exsuperat;* vox fere poetis et argenteæ ætatis scriptoribus usitata pro: superare. — *Extorris* cum Ablativo junct., ut apud Livium, J. 14: 11 *me — extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit;* H. 11: 97 *orbe terrarum extorres.* Absolute ponitur a Cicerone. — *Exuere* aliquem aliqua re J. 88: 3 *regem armis exuerat;* H. I: 45, 11; III: 68; III: 82, 6; IV: 19, 13. Structura illa Cæsari, Livio, Tacito satis frequentata apud Ciceronem non invenitur.

Fabricari vi passiva usurpatum H. II: 29, 2 *exornatis aedibus — scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis;* IV: 10 *naves codicariae occulto per hiemem fabricatae aderant.* Ita locuti sunt Quintilianus et poetæ. — *Facere fugam* J. 53: 3; 58: 4 pro: se in fugam dare, fugere, ut apud Liv. 8: 9; huic dictioni alias subjicitur vis *fugandi; — nihil reliqui (reliquum) facere;* locutio illa apud Sallustium duplicem habet vim; dicitur enim pro relinquere C. 11: 7; 28: 4; 52: 4; pro omittere, intermittere J. 76: 4 *Contra haec oppidani festinare, parare; prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri* [1]. — *Facinora* pro hominibus facinorosis C. 14: 1 *omnium flagitiorum* (i. e. flagitiosorum) *atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat.* — *Factiosus* sæpe apud Sall. reperitur, ut: C. 18: 4; 51: 32; 54: 5; J. 8: 1; 15: 4; 27: 2; 28: 4; 77: 1; 85: 3. [2]. — *Facundia* C. 53: 3; J. 30: 4; 63: 3; 102: 4; H. II: 46; II: 50, 4 et *facundus* J. 85: 26; 95: 3; H. IV: 57; apud Ciceronem et Cæsarem non inveniuntur illa posterioribus satis frequentata vocabula. — *Fatigare* more poetarum pro: precibus vel petendo fatigare J. 11: 4. *Dein tamen, ut aetati concederet fatigatus a fratre;* 14: 20 *quos ego audio maxima ope niti, ambire,*

---

[1]) Rarior hæc quidem significatio, exstat tamen Nep. Attic. 21: 4; Cæs. Bell. Gall. 2: 26; sed eam prorsus ignorare videtur Kruegerus, quum de illa locutione (Gram. p. 1052) disputat.

[2]) Dicit quidem Krebsius (Antib. p. 349 sqq.) hoc verbum numquam pro partium studioso usurpari, crediderim tamen eam esse vocis vim C. 51: 32 *homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos ajebant.* Universa hujus loci ratio mihi videtur esse talis, ut factiosis non designentur ii, qui potentes modo sint, sed qui studio partium rerumque novandarum quocumque modo sibi potentiam et dominationem quærere velint. Eadem vocabuli vis exstat non solum J. 8: 1; 15: 4; 85: 3 sed multo apertius Nep. Agesil. 1: 5 "*Nam Lysandro suffragante, homine, ut ostendimus supra, factioso, et his temporibus potente, Agesilaus antelatus est.*" Addita enim verba *et his temporibus potente* mihi quidem videntur ostendere h. l. aliam ac potentiæ vim in hac voce inesse.

fatigare vos singulos; 73: 2 *Marium fatigantem de profectione — domum dimittit;* 111: 3 *Denique saepius fatigatus lenitur, et ex voluntate Sullae omnia se facturum promittit.* Cfr. Tac. H. 1: 29. — *Favere* absolute positum, quod quidem est rarissimum J. 85: 5. *Et illud intelligo — aequos bonosque favere* (mihi). — *Ferinus* pro fero J. 18: 1 *cibus erat caro ferina*, 89: 7 *Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur;* vox poetarum Ciceroni non usitata. — *Ferire hostem* C. 7: 6; 60: 4; J. 85: 33 apud solum Sallustium, si vocem Ennii apud Ciceronem (Balb. 22) exceperis, videtur exstare. — *Festinare* cum Accusativo junctum, ut apud poetas, J. 64: 6 *animo cupienti nihil satis festinatur;* 73: 1 *cuncta parat festinatque;* 77: 1 *ni id festinaret;* 81: 4; H. I: 117 *profectionem festinantes;* inc. 74 *soleas festinare.* Cicero hoc vocabulum, nisi cum Infinitivo junctum aut vi intransitiva, non usurpavit. — *Festinus* vox fere poetica H. inc. 10 *in secunda festinas cohortes composuerat;* de leviter armatis esse dictum videtur. — *Fine* paulo insolentius pro: tenus H. III: 94 *fine inguinum ingrediuntur mare;* ut apud Cæs. Bell. Gall. 7: 47; Auct. Bell. Afr. 85: 1. — *Flagrare inopia* paulo insolentius dictum pro: inopia laborare H. I: 51, 7 *inopia et cupidinibus.* — *Fluxus;* vox illa, cujus est apud Ciceronem rarior usus [1]), nonnullis locis exstat pro incerto, debili, infirmo C. 1: 4 *divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est;* 14: 5 *animi molles et aetate fluxi;* J. 104: 2 *ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles semper in adversa mutantur;* 111: 2 *fluxa fide usus.* — *Foedare* H. I: 26 *quum arae et alia diis sacrata supplicum sanguine foedarentur;* inc. 73 *nubes foedavere lumen;* vox poetarum fere propria. — *Frequentari* cum Ablativo junctum, ubi de hominibus dicitur, J. 48: 4 *ea* (loca) *consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.* — *Frustra esse* de hominibus dictum, ut apud Plautum pro: falli J. 85: 6 *quo mihi acrius annitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint.* — *Frustari* passiva significatione J. 58: 3 *pauci in pluribus minus frustrati.* — *Fugere* insolenter conjunxit Sallustius simul cum Adverbio loci et Accusativo objecti H. II: 5 *Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis fugerat iram atque opes.* — *Furta belli* H. I: 86 pro insidiis, ut apud Virgil. 10: 735; 11: 515; Curt 4: 13, 4.

Gaudia corporis pro voluptatibus J. 2: 4 insolenter quidem dixit Sallustius, sed animus per corpus voluptate frui fortasse cogitatur [2]).

[1]) Uno tantummodo loco Att. 4: 2 fortasse reperitur.

[2]) Cic. Fin. 2: 4, 13 *Voluptas dicitur etiam in animo, non dicitur laetitia nec gaudium in corpore.* (Vide tamen Tusc. 5: 33, 96 *corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret voluptatem).*

— *Gerere exercitum* pro habere concinnitatis causa dictum videtur J. 55: 1; cfr. 85: 47 *meque vosque in omnibus rebus juxta geram;* 46: 8 *pacem an bellum gerens;* H. inc. 5 *ut res magis quam verba gererentur;* per se enim non dicitur *gerere verba*, *pacem*, *aliquem*. — *Gliscere* H. III: 35 *neque jam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente;* vox Livio et Tacito usitatissima. — *Gloria* pro officiosa honoris significatione H. II: 29, 1. *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium — visebatur.* — *Grassari* J. 1: 3 *ubi ad gloriam virtutis via grassatur;* 64: 5 *ita cupidine et ira, pessimis consultoribus, grassari;* H. inc. 65 *dum inferior omni via grassaretur;* vox illa a Cicerone et Cæsare numquam usurpata exstat apud Livium, Tacitum, alios pro: ire, procedere; agere, agitare. — *Gratiam reddere* J. 110: 4 insolentius pro referre; cfr. Tacit. H. 2: 48; Tibull. 2: 1, 36; — *gratiam rei facere* pro: veniam dare alicujus rei vel ignoscere C. 52: 8 *qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem;* J. 104: 5 *senatus Boccho delicti gratiam facit;* H. III: 85 *post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat;* locutio illa etiam apud Livium (3: 56) reperitur. — *Gratus* de hominibus dicitur pro caro, accepto, gratioso C. 23: 3 *cui* (Fulviæ) *quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat* [1]); ita poetæ imprimis sunt locuti.

Habere pro agere C. 4: 1 *mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi;* 51: 12 *qui demissi in obscuro vitam habent;* cfr. J. 85: 41. — *Habere cum animo* J. 11: 8 insolenter pro eo, quod est apud Ciceronem: in animo habere; — *gravius habere* C. 51: 11 pro ferre; Cfr. Liv. 7: 5; — *in potestatem habere* J. 112: 3; rarior illa structura pro: habere *in* sequente Ablativo, inde videtur repetenda, quod duæ enuntiationes: *in potestatem accipere* et *in potestate habere*, brevitate quadam dicendi in unum comprehenduntur. — Tac. H. 1: 87 *in custodiam habere;* — Liv. 22: 23. Cæs. Bell. Civ. 1: 25 *quo facilius omne Hadriaticum mare in potestatem haberet.* Cfr. Cic. Leg. Manil. 12: 33 *in praedonum fuisse potestatem.* — *Hortamentum* pro hortatione, ut apud Liv. et Tacit., J. 98: 7 *Sed ea cuncta Romanis facilia visu magnoque hortamento erant.* — *Hortari* insolenter junctum cum Infinitivo C. 5: 9 atque etiam insolentius cum Supino H. III: 82, 16 *Neque ego vos ultum injurias hortor.* — *Hostilis* pro: hostium [2]) C.

[1]) Vocabulum illud Cicero de rebus frequenter usurpavit, de hominibus, nisi pro: beneficii memore vel gratia digno, quod quidem animadverterim, non adhibuit.

[2]) Quam locutionem non probat Krebsius (Antib. p. 389).

61: 8 *volventes hostilia cadavera*, J. 41: 2 *metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat;* 105: 3 *numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant.*

Ignarus vi passiva pro ignoto J. 18: 6 *mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant;* 52: 5 *regio hostibus ignara;* H. inc. 63 *more humanae cupidinis ignara visundi;* ut apud Tacitum et Senecam. — *Ignorantia* semel legitur H. III: 82: 25 *neque enim ignorantia res claudit;* vox illa apud æquales Sallustii rarissima est pro ignoratione, inscitia. — *Imminuere* pro turbare J. 65: 1 *mente paulum imminuta;* Cfr. Tac. Ann. 6: 46. — *Immittere* pro subornare C. 48: 8 *alii Tarquinium a Cicerone immissum ajebant;* ut apud argenteæ ætatis scriptores. — *Immodicus* animi H. I: 113. Vox illa a Cicerone et Cæsare non usurpata apud Livium et posteriores sæpe reperitur [1]. — *Imperitare*, vox Ciceroni et Cæsari non usitata, sæpe invenitur apud Sallustium; cum Dativo juncta J. 19: 7; 76: 1; 102: 6; — absolute ponitur J. 79: 2; 81: 1 H. I: 45, 10; utrumque usum posteriores amplexi sunt. — *Imperitia* apud nullum alium hujus ætatis scriptorem invenitur, J. 38: 1 *At Jugurtha cognita vanitate atque imperitia legati;* 85: 45 *omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam;* 99: 1 *plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus.* — *Impollutus* H. I: 45, 11 [2]. *Nam quid ultra? quaeve humana superant, aut divina impolluta sunt?* hoc vocabulo usus est Tac. Ann. 14: 35; 16: 26. — *Imponere* insolenter junctum, 61: 1 *in iis urbibus — praesidia imponit*, pro: in eas urbes; Cfr. tamen Cic. Nat. Deor. 1: 20. 54 *imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum;* — Liv. 8: 23; — Nep. Cim. 4: 1. — *Importuosus* J. 17: 5, ut apud Tacitum et Plinium. — *Improbus* H. IV: 48 *improbo patibulo eminens affigebatur*, pro: improbis destinatus vel quod supplicio improborum adhiberetur [3]. — *In cassum* H. III: 82, 11 ut apud Livium, Tacitum, alios. — *Incautus* vi passiva pro immunito H. inc. 12 *repente incautos agros invasit;* eodemque modo locuti sunt Livius et Tacitus. — *Incedere* insolenter junctum J. 101: 7 *in perculsos Romanos acrius incedere*, quam structuram nullo alio loco apud Sallustium vixque apud alium quemquam scriptorem invenias; — cum Dativo junctum [4] C. 31: 3; H. II: 69; cum Accusativo H. IV: 19, 15; sæpius absolute ponitur. — *Incelebratus* H. I: 57 *multaque tum*

[1] Krebsius contendit (Antib. p. 401) Livium primum eo vocabulo usum esse.

[2] Hunc locum Lexicographi omiserunt.

[3] *Improbum* Lexicographi dicunt idem valere quod immane, immensum; sed vide quæ de hac re disputat Kritzius h. l.

[4] Ut Cæs. Bell. Civ. 3: 74; Liv. 4: 57; Tac. Ann. 3: 36.

ductu ejus curata primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt; præterea apud solum Tacitum hanc vocem reperimus: Ann. 6: 7 — *Incertus* passiva vi de hominibus dicitur J. 49: 5 *nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset* [1]). — *Incipere* cum Accusativo junctum C. 20: 3 *facinus;* C. 51: 5 *bellum* ut J. 66: 1; 80: 3 et 5; 83: 1; — 70: 1 *deditionem;* pro eo quod est Ciceronis: incipere sequente Infinitivo; — forma passiva exstat J. 21: 2 *proelium non inceptum;* 57: 3 *proelium incipitur;* 74: 2 [2]). — *Inclutus* vox fere poetica H. I: 62 *insulas Homeri carminibus inclutas;* I: 80 *urbem inclutam specu atque nemore;* II: 27 *Saguntini fide atque aerumnis incluti;* IV: 19: 19 *regnum Persidis inclutis divitiis.* — *Incruentus*, vox non usurpata a Cicerone et Cæsare, C. 61: 7 *neque exercitus — incruentam victoriam adeptus erat;* J. 92: 4 *Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento;* H. III: 16; sæpe apud Livium invenitur. — *Incultus* C. 55: 4; J. 2: 4 *ingenium — incultu atque socordia torpescere sinunt;* hanc vocem Cicero et Cæsar aspernati sunt. — *Incumbere* cum Accusativo junctum H. III: 87 *ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet;* pro eo quod est usitatius: incumbere *in* vel *ad* sequente Accusat. substantivi. — *Incuriosus* H. IV: 66 *infrequentem stationem incuriosamque;* vox argenteæ ætatis pro negligente. — *Incurrere* junctum cum Dativo J. 101: 8 *rediens ab latere Mauris incurrit;* cfr. Liv. 22: 17; Tac. Ann. 2: 16; — cum Accusativo H. inc. 30 *atque eos a tergo incurrerunt;* cfr. Tac. Ann. 1: 51. Cicero huic vocabulo *in* præpositionem semper adjungit. — *Indere*, vox Plauto et argenteæ ætatis scriptoribus usitata, J. 78: 1 *quibus nomen ex re inditum;* H. I: 45, 24 *quae sceleri et parricidio suo nomina indidit.* — *Indicare de conjuratione* C. 30: 6; 48: 4; ib. 6 *nisi de eo indicaret cujus consilio tantam rem mentitus esset.* Cicero huic vocabulo Accusativum adjungit. — *Inesse* cum Dativo junctum C. 17: 2 *quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat;* 20: 11 *cui virile ingenium inest;* 23: 2 *huic homini non minor vanitas inerat quam audacia;* 40: 6 *quo major auctoritas sermoni inesset;* 58: 2 *quanta cujusque animo audacia — inest;* H. II: 50, 14 *multa cura summo imperio*

---

[1]) Cfr. Liv. 27: 37 *infans incertus, mas an femina esset;* 30: 35 *Italicos incertos, socii an hostes essent, in postremam aciem summotos.*

[2]) Quod Krebsius (Antib. p. 411) negat, passivam hujus vocabuli formam ullius esse auctoritatis ideoque improbandam censet, id non recte dicit; cfr. præter locos supra laudatos Cæs. Bell. Gall. 7: 17 *si inceptam oppugnationem reliquissent;* Terent. Andr. 5: 1, 17: Plaut. Capt. 2: 1, 36; Virg. Aen. 8: 90.

inest; Cicero dicit *inesse in re* [1]) (ut semel apud Sallust. C. 15: 5) vel absolute ponit (ut C. 25: 5; J. 64: 1). — *Infecunditas* pro sterilitate H. III: 90 *quum per omnem provinciam infecunditate bienni proximi grave pretium fructibus esset;* (cfr. Tac. Ann. 4: 6) et *Infecundus* J. 17: 5 *infecundus arbore ager;* vocabula, quorum omnino haud frequens est usus. — *Ingenium* insolenter pro natura et indole H. II: 50, 9 *neque mox ingenio corporis honestius, quam pro vestra salute, finem vitae fecerim;* III: 17 *pugna ingenio loci prohibebatur;* I: 61 *Oceani duas insulas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere;* ut nonnullis locis apud Livium et Tacitum. *Ingenia* pro: viris ingenio præditis C. 8: 3 *provenere ibi scriptorum magna ingenia;* ib. 4 *praeclara ingenia;* 20: 2 *vana ingenia;* 51: 35 *in civitate multa et varia ingenia sunt;* ut apud Cic. Off. 1: 22 *in magnis animis ingeniisque plerumque contingit;* et sæpius apud posteriores. — *Ingredi* cum Accusativo semper jungit Sallustius; J. 28: 7; 43: 2; 42: 1; H. II: 42; II: 54; III: 94. — *Injuria* vox illa cum Genitivo substantivi vel pronomine possessionis juncta semper significat injuriam alicui illatam, ut: C. 51: 11; 52: 6; J. 14: 8 et 19; 20: 4; 24: 6; 82: 3; H. 1: 51, 10. — *Innoxius* vi passiva pro tuto, securo, C. 39: 2 *Hi magistratus, provincias aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes sine metu aetatem agere;* illam locutionem Sallustio primo usurpatam amplexi sunt Tacit. H. 4: 20; Curt. 9: 4, 11; Colum. 5: 9. — *Insidere* junctum cum Accusativo H. I: 10 *montem sacrum et Aventinum insedit;* I. 116 *paucos saltum insidentes;* Cfr. Liv. 21: 54; 26: 44; Tac. Ann. 2: 16; Cicero insidere *in* sequente Ablativo Substantivi. — *Insilire equum* H. V: 4 poetarum more; Cæsar et Livius *in* præpositionem huic voci adjungunt. — *Insolescere* vox fere argenteæ ætatis pro: insolentem esse, fieri, C. 6: 7 *eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.* — *Insons* C. 16: 3 *insontes sicuti sontes circumvenire, jugulare;* vox poetis, Livio, Tacito usitata. — *Instruere* cum Dativo junctum H. I: 97 *neque se recipere aut instruere proelio quivere;* II: 33 *Sertorius instruere pugnae suos.* Cfr. Liv. 1: 15 *instructus dimicationi;* Cic. instruere *ad* aliquid. — *Insuescere*, Ciceroni et Cæsari non usitata vox, pro assuescere C. 11: 6 *insuevit exercitus amare, potare;* J. 8: 2 *neu quibus largiri insuesceret;* sæpe apud Livium, Tacitum, alios. — *Insultare* junctum cum Accusativo H. inc. 50 *multos bonos insultavit;* ut Tac. Ann. 4: 59, pro eo, quod est Ciceronis: insultare alicui vel in aliquem. — *Intactus* J. 54: 10; 67: 3; 83: 3; H. IV: 19, 15 vox Livio et poe-

[1]) Loco Ciceronis de Off. 1: 42, ubi dixit: *quibus artibus aut prudentia major inest aut utilitas quaeritur,* Dativus propter concinnitatem membrorum videtur esse positus.

tis præsertim usurpata. — *Intectus* pro non tecto H. II: 27 *domus;* III: 57 *corpus;* ut apud Tacitum. — *Intendere* insolenter cum Infinitivo junctum J. 92: 6 *quem locum Marius — capere intendit;* 107: 7 *quo ire intenderant, perventum est;* eadem structura usus est Tacitus Agr. 18; H. 2: 12 et 22. — *Inter ceteram planitiem* J. 92: 5 paulo insolentius dictum pro: in regione ceterum plana. — *Internus* pro domestico, intestino, apud primum Sallustium H. IV: 19, 13 *ob ipsorum interna mala dilata proelia* [1]. — *Interpretari* vi passiva dicitur J. 17: 7 *ut ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est;* ut apud Cic. Leg. 2: 12. — *Intestabilis* J. 67: 3 *improbus intestabilisque videtur;* H. I: 45, 1 *pejor atque intestabilior metu vestro;* ut apud Horatium et Tacitum pro detestabili. — *Intutus* pro non tuto, non custodito H. I: 51, 17 *quousque cunctando rempublicam intutam patiemini?* Cfr. Liv. 5: 45. — *Invadere* cum solo Accusativo semper junctum, ubi absolute non est positum (ut C. 2: 5; 10: 6; J. 41: 9). Cicero huic vocabulo *in* præpositionem adjungit; apud Cæsarem absolute ponitur. — *Invitare se cibo vinoque* H. IV: 26 significat: indulgere edendo bibendoque [2]. — *Invius* poetarum fere vox H. I: 9; III: 77, 6. — *Ire* junctum cum Supino sæpe apud Sallustium C. 36: 4; 52: 12; J. 31: 27 *perditum;* 68: 1 *ultum;* 85: 42 *ereptum;* H. I: 45, 20 *captum.* Locutionem illam, cujus est apud Ciceronem rarior usus, Livius, Tacitus et comoediarum scriptores frequentarunt. — *Irritamentum* pro incitamento J. 89: 7 *neque salem neque alia irritamenta gulae quaerebant.* Livius, Tacitus hac voce usi sunt. — *Irrumpere* sequente solo Accusativo J. 58: 1 *portam irrumpit;* ut sæpe apud Tacitum pro: irrumpere *in* sequente Accusat. Substantivi, quæ structura apud Sall. J. 12: 5 exstat. — *Iter* de tractu locorum insolenter dictum J. 49: 1 *Igitur in eo colle, quem transverso itinere porrectum docuimus, Jugurtha — consedit.* — *Jubere* insolenter junctum J. 84: 1 *postquam ei provinciam Numidiam populus jussit* i. e. decrevit [3]. Cfr. 85: 11 *quem vos imperatorem jussistis* i. e. declarastis. — *Juxta* paulo insolentius junctum C. 58: 5 *juxta mecum omnes intelligitis* (quæ structura præterea apud solum Plautum invenitur: Trin. 1: 2, 160; Aulul. 4: 7, 1; Pseud. 4: 7, 62). sequente Accusativo (ut apud Cæsarem et Tacitum) pro: haud procul a H. III: 77, 11 *juxta seditionem erant;* IV: 41 *sapor juxta fontes dulcissimos;* adverbium = prope J. 65: 2; H. IV:

[1]) In eo igitur errat Krebsius (Antib. p. 438), quod apud quemquam alium nisi apud Senecam, Plinium maj. et Tacitum hoc vocabulum reperiri negat.

[2]) Cfr. Sueton. Aug. 77 *largissime se invitare.* — Plaut. Amph. 1: 1, 26 *invitavit se in coena plusculum.*

[3]) Cfr. h. l. Kritz. p. 435 squ., qui de hac locutione uberius disputavit.

19, 17; usurpatum pro similiter, pari modo C. 2: 8; 51: 30; 61: 6; J. 67: 2; 72: 2; 85: 33 et 47; 88: 1; 95: 2; sequente ac C. 37: 8 *reipublicae juxta ac sibi consuluisse* (ut apud Livium 1: 54); sequente *ac si* pro: perinde ac si J. 45: 2 *juxta ac si hostes adessent.*

Lacer H. III: 77, 16 *lacerum corpus;* vox illa poetarum nusquam apud Ciceronem et Cæsarem invenitur. — *Lascivia* in malam partem dicitur, ut apud argenteæ ætatis scriptores, J. 39: 5 *quos licentia atque lascivia corruperat;* 41: 3 *lascivia atque superbia incessere.* — *Lassus* poetarum fere vox pro fesso, fatigato J. 53: 5 *At Romani quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi lassique erant, tamen — procedunt.* — *Liberalis* cum Genitivo jungitur C. 7: 6 *laudis avidi, pecuniae liberales erant;* quod sine aliorum exemplo concinnitatis causa dictum videtur. — *Limosus* vox poetarum J. 37: 4 *planities limosa;* apud nullum alium solutæ orationis scriptorem nisi apud Plinium exstat. — *Longus* paulo insolentius pro sero, longinquo H. I: 24 *et Metello procul agente longa spes auxiliorum;* eodem modo locutus est Seneca in Ep. 22 *Quid ergo? tam longas spes relinquam? ab ipsa messe recedam?* — *Ludificari* vi passiva dicitur J. 50: 4 *ludificati incerto proelio;* ut apud Plautum.

Machinatio pro machina J. 92: 7 *aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus;* Cfr. Cæs. Bell. Gall. 2: 31; 4: 17. — *Machinari* vi passiva C. 48: 7 *Erant eo tempore qui existimarent indicium illud a P. Autronio machinatum;* H. II: 29, 3 *demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum;* III: 38 *At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat.* — *Malitia* pro vitiositate J. 22: 2 *virtute non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse.* Ita inter se opponuntur *virtus* et *malitia* præsertim a Seneca (Ep. 31; 81; 82; 106); quam loquendi consuetudinem improbat Cicero, Tusc. 4: 15, 34; Fin. 3: 12, 40. — *Malle* paulo insolentius junctam C. 17: 6 *incerta pro certis malebant* i. e. incerta quam certa malebant. Cfr. Tac. H. 2: 86. — *Manus* pro pugna C. 39: 4 *quodsi primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset;* locutio insolentior quidem, sed exstat apud Liv. 27: 13; Tac. Ann. 1: 63. — *Memorare* pro commemorare sæpe exstat, ut: C. 5: 7; 7: 7; 20: 1; 51: 4; 57: 1; J. 12: 1; 33: 4; 40: 3; 79: 1; 85: 21; 86: 3; 89: 4; H: 11: 50, 3; et nonnullis locis sequente *de* præpositione pro Accusativo, ut: C. 3: 2; 26: 3; J.25: 4; 28: 4. Hoc vocabulum in scriptis Ciceronis est rarissimum. Cfr. Madvig. Cic. de Fin. 2: 5, 15. — *Mentiri* poetarum more junctum cum Accusativo C. 48: 6 *cujus consilio tantam rem mentitus esset.* Cfr. Liv. 10: 40. — *Merens* pro usitatiore: merito J. 62: 1; 100: 3. — *Militaris* pro belli perito C. 45: 2 *Illi homines militares — pon-*

tem obsident; 59: 6 *Homo militaris;* ut sæpe apud Livium et Tacitum. — *Militiae* non addito vocabulo *domi* J. 84: 2 *praeterea ex Latio fortissimum quemque, plerosque militiae, paucos fama cognitos accire* [1]. — *Missitare;* vox illa, cujus haud frequens est usus, apud primum Sallustium invenitur J. 38: 1 *missitare supplicantes legatos.* Liv. 9: 45. — *Mortales* pro hominibus; locutio Cæsari numquam usitata, a Cicerone, nisi additis vocabulis *omnes* vel *multi*, non usurpatur; apud Sallustium, his vocabulis non additis, sæpe reperitur, ut: C. 1: 5; 6: 3; 12: 3; 20: 11; 33: 4; 36: 4; 51: 11; J. 2: 4; 6: 3; 10: 2; 17: 7. H. II: 29, 2; et in singulari numero J. 72: 2; 92: 2. — *Munificentia* vox Ciceroni et Cæsari non usitata C. 54: 2 *Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato;* J. 7: 7 *Huc accedebat munificentia animi et ingenii sollertia,* 103: 5 *barbari — Sullam ob munificentiam in sese amicum rati;* 110: 5 *regem armis quam munificentia vinci minus flagitiosum.* — *Munimentum* vox, cujus usum historici frequentarunt, apud Ciceronem nusquam exstat. — *Mussare* vox fere poetarum nonnullis exstat locis apud Livium; apud Sall. H. I: 51, 3 *vos mussantes et retractantes;* III: 82, 8 *et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat, tamen illi prius invidiam metuere, quam vos injuriae pertaesum est.* — *Mutare* insolentius junctum J. 83: 1 *incerta pro certis mutare.* Cfr. Liv. 27: 35; 34: 49.

Necessitudo pro necessitate C. 17: 2 *quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat;* ib. 5 *inopia aut alia necessitudo;* 21: 3 *hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum;* 33: 5 *neve eam nobis necessitudinem imponatis;* 58: 11 *Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet;* ib. 19. — *praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortes facit.* J. 19: 8 *De Africa et ejus incolis ad necessitudinem rei satis dictum;* 48: 1 *coactus rerum necessitudine statuit armis certare;* 102: 5 *simul nobis demeres acerbam necessitudinem.* Uno tantummodo loco familiaritatis atque affinitatis conjunctionem, quæ quidem est vulgaris vis hujus vocabuli, significat J. 80: 6 *Etiam antea Jugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur.* — *Necessitas*, quæ vox Ciceroni fuit in deliciis, bis legitur: H. I: 45, 15 *extremam necessitatem exspectat;* III: 1, 8 *neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere.* — *Nefandus* vox apud æquales Sallustii rarior C. 15: 1 *Catilina multa nefanda stupra fecerat;* H. I: 45, 1 *quae ipsi nefanda ae-*

1) Hanc loquendi consuetudinem apud meliores Romanos scriptores nusquam exstare putat Krebsius (Antib. p. 494); exstat tamen Cic. Leg. 3: 3, 6; Liv. 5: 12.

stimatis; III: 77, 15 *nefandum in modum;* ib. 17 *neque sanctum aut nefandum quidquam fuit irae barbarorum et servili ingenio;* inc. 28 *ubi multa nefanda casu super ausi atque passi.* — *Negitare* J. 111: 2 *Rex primo negitare;* vox illa rarissima apud Plautum et Horatium reperitur. — *Nemorosus* vox poetis et argenteæ ætatis scriptoribus usitata H. inc. 8 *Consedit in valle virgulta nemorosaque.* — *Nequire* in forma passiva cum Infinitivo passivi junctum J. 31: 8 *Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur.* Cfr. Plaut. Rud. 4: 4, 20. — *Nisus* vox fere poetarum J. 94: 1 *ut prospectus nisusque per saxa facilius foret;* ib. 2 *quae dubia nisu videbantur.* — *Niti* junctum cum Infinitivo J. 25: 9 *summa vi Cirtam irrumpere nititur;* 37: 2 *continuare magistratum nitebantur.* Cfr. Nep. Pelop. 2: 1. — *Novare* pro res novare C. 39: 3 *ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est.* Cfr. Tac. Ann. 4: 18. — *Novus* pro recente J. 75: 8 *in nova deditione.* — *Noxa* pro detrimento H. I: 51: 1 *prava incepta consultoribus noxae esse;* ib. 11 *angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu;* vox illa Ciceroni numquam usurpata apud Livium sæpe reperitur. — *Noxius* J. 31: 26 *nisi vindicatum in noxios;* 42: 1 *nobilitas noxia atque eo perculsa;* H. III: 82, 3 *quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes;* vox poetarum, Livii et posteriorum. — *Nudus* insolenter cum Genitivo jungitur [1]) J. 79: 6 *loca nuda gignentium;* pro eo, quod est apud Ciceronem: nudus aliqua re vel ab aliqua re.

Ob insolentius paulo usurpatum J. 31: 5 *Id frustra an ob rem faciam;* ut apud Terentium pro: *ex re* vel *in rem* (ut C. 20: 1); — *ob id* H. I: 51, 18; *ob ea* J. 39: 2; 89: 2; 97: 5; pro: propter ea; quæ locutiones exstant apud Livium et posteriores, numquam apud Ciceronem et Cæsarem. — *Objectare* pro exponere, poetarum more, J. 7: 1 *statuit eum objectare periculis;* usitatior hujus vocabuli vis est exprobrare, J. 85: 14 *mihi fortuna, illis probra objectantur;* 94: 4 *Mario vecordiam objectare;* H. I: 45, 18 *At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum;* ut apud Cæsarem, Tacitum, alios. — *Oblongus* vox neque Ciceroni neque Cæsari usurpata J. 18: 8 *aedificia Numidarum agrestium — oblonga.* — *Obnoxius* poetarum fere vox C. 14: 6 *illos obnoxios fidosque sibi;* 20: 7 *his obnoxii;* 23: 3 *minari interdum ferro, nisi obnoxia foret;* 48: 5 *plerique Crasso obnoxii;* 52: 21 *animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius;* absolute ponitur J. 31: 3 *qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis;* H. IV: 19, 4 *ille enim obnoxius;* ib. 13 *omnibus aliis obnoxiis;* hanc vocem vix apud alium quemquam

[1]) Ut apud Ovid. Metam. 12: 512.

solutæ orationis scriptorem, quem quidem tulit ætas illa, quæ aurea vocatur, nisi apud Livium invenias. — *Obsidēre* vox poetarum C. 43: 2 *Cethegus Ciceronis januam obsideret;* 45: 2 *pontem obsidunt;* J. 91: 4 *cursu tendere ad Capsam et portas obsidere jubet.* — *Obsidium* pro obsidione H. I: 84 *magnis operibus perfectis obsidium coepit per L. Catilinam legatum* [1]; IV: 19, 4 *Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit;* vocabulum illud paulum obsoletum Tacitus quoque usurpavit. — *Obtentus* vox argenteæ ætatis scriptoribus usitata H. I: 45, 24 *secundae res mire sunt vitiis obtentui* pro: vitia obtegunt; ut apud Tacitum, H. 2: 14 *obscurum noctis obtentui fugientibus;* — pro specie, causa Ann. 1: 10; 12: 7. — *Obtinere* absolute positum J. 80: 7 *nulla pro socia obtinet* [2]. — *Obtruncare*, apud Ciceronem et Cæsarem inusitatum, pro interficere J. 35: 6 *Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paulo inconsultius Massivam aggreditur, illum obtruncat;* 66: 3; 67: 2; 97: 5; 101: 4; 113: 7; H. II: 59. Liv. 1: 5. — *Occanere* H. I: 69 *jussu Metelli cornicines occanuere;* inc. 82 *cornua occanuerunt;* vox illa rarissima apud Tacitum (Ann. 2: 81) reperitur. — *Occipere* pro incipere H. III: 86 *socordius ire milites occoepere;* vox fere comicorum, Livii, Taciti. — *Occursare* Ciceroni non usitatum J. 12: 5 *dormientes alios, alios occursantes interficere;* 85: 3 *ea agere inter invidos, occursantes, factiosos, opinione, Quirites, asperius est.* — *Offerre pugnam* H. III: 77, 11 *obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus* [3]. — *Onustus* paulo insolentius pro abundante, repleto J. 87: 1 *in agrum fertilem*

---

[1]) Quum Festus (Corp. Gramm. Lat. Vol. II, p. 192 ed. Lindem.) hæc referat: "*obsidium* tamquam *praesidium*, *subsidium* recte dicitur; cujus etiam auctor C. Lælius pro se ad populum: *uti nobis terra marique simul obsidium facerent.* Et Sallustius historiarum I: *Magnis — legatum*"; dicit Kritzius "luce clarius esse, Festum non de trita vocis potestate loqui, qua valet *obsessionem* vel *obsidionem*, sed inusitatam *subsidii* significationem proborum auctoritate scriptorum firmare ac defendere". Qua quidem in re mihi videtur errare vir ille doctissimus. Festus enim priscam illam atque paulum obsoletam vocabuli *obsidii* formam ita mihi videtur defendere, ut ex analogia *praesidii*, *subsidii* verborum *obsidium* recte dici neque propter usitatius *obsidionis* vocabulum rejiciendam esse contendat.

[2]) Krebsius (Antib. p. 546) hanc loquendi consuetudinem apud solutæ orationis scriptores, qui quidem in aliquo numero sint habendi, exstare negavit; sed cfr. Cic. Repub. 6: 17 *subter mediam fere regionem sol obtinet.* — Liv. 21: 46 *Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et famâ obtinuit.*

[3]) Hanc locutionem latinam esse negavit Krebsius Antib. p. 552.

et praeda onustum proficiscitur; Cfr. Tac. Ann. 12: 13 *pharetrae telis onustae.* — *Opportunus* junctum cum *pro* præpositione J. 88: 4 *urbes quae viris aut loco pro hostibus et adversum se opportunissimae erant.* — *Optare* pro eligere H. III: 54. *Atque eum Curio laudatum accensumque praemiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet.* Cfr. Liv. 6: 25. — *Opulens* vox rarior pro opulento J. 69: 3 *Civitas magna et opulens.* — *Opulenter* J. 85: 34. — *Opulentia*, vox Ciceroni et Cæsari non usurpata, pro opibus, divitiis C. 6: 3 *invidia ex opulentia orta est* C. 52: 9 *opulentia negligentiam tolerabat;* ib. 22 *Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem privatim opulentiam;* H. II: 50, 14 *pacis opulentiam quaeritis.* — *Orare* insolenter junctum H. IV: 19, 1 *qui ad belli societatem orantur* pro: ut ad belli societatem veniant; ejusmodi brevitas dicendi § 16 *a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris.* — *Oriri*, vox illa, cui Cicero *a* præpositionem plerumque adjungit, *ex* præpositionem apud Sallustium habet J. 5: 7. *Massinissa quod ortus ex concubina erat;* 48: 3 *ex eo medio quasi collis oriebatur* 72: 1 *ne qua ex eo negotio seditio oriretur;* 108: 1 *pater ejus ex concubina ortus erat;* C. 6: 3 *invidia ex opulentia orta est;* 34: 2 *neve ex sua contentione seditio oriretur;* 51: 27 *omnia mala exempla ex bonis orta sunt;* uno tantummodo loco cum Ablativo solo, non addita præpositione, jungitur C. 31: 7 *ea familia ortum.* — *Ostentus* rarior omnino vox pro documento J. 24: 10 *sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthae scelerum ostentui essem* i. e. ut in me ostenderetur sive cognosceretur, quæ scelera Jugurtha committeret; cfr. Tac. Ann. 12: 14; 15: 64; — pro specie J. 46: 6 *illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentari;* cfr. Tac. Ann. 1: 78. — *Ostentatio* H. II: 29, 2 *scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis*, huic voci h. l. rarior subjecta est vis *artem histrionum exhibendi*, pro eo, quod est usitatius: *ad jactationem sive gloriationem histrionum.* Cfr. Liv. 7: 4.

Pacificare J. 66: 2 *Jugurtha pacificante;* ut apud Livium pro: pacem facere. — *Par* sequente *cum* præpositione et Ablativo pro Dativo J. 14: 9 *quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti* [1]); — sequente Ablativo H. IV: 14 *scalas pares moenium al-*

[1]) Hæc locutio apud Ciceronem fortasse non exstat; nam ex locis, quorum exempla affert Ruddimannus (Gr. II, p. 93) alterum emendarunt viri docti, alterius alia videtur esse ratio. In illo, Phil. 1: 14 *illa erat vita, libertate esse parem cum ceteris, principem dignitate*, vocab. *cum* expunxerunt; in hoc, Brut. 59: 215 *erant ei quaedam ex his paria cum Crasso*, *cum* non pertinet

titudine [1]); cfr. Ovid. Fast. 6: 804 *in qua par species nobilitate sua.* — *Paratio* vox rarissima J. 31: 8 *sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere.* — *Paratus* pro apparatu H. I: 57 *magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit;* usus hujus vocabuli rarior est apud Livium et Tacitum. — *Partire* J. 43: I *consules designati provincias inter se partiverant;* forma illa insolentior apud Plautum, Lucretium, Tacitum (Ann. 12: 30) exstat pro eo, quod apud Ciceronem semper est: *partiri.* — *Patens* cum Dativo junctum, ut apud Livium et Senecam, J. 92: 5 *mons mediocri castello satis patens;* hoc vocabulo absolute posito semper utitur Cicero. — *Patrare* C. 18: 8; 53: 6; 56: 4; J. 13: 5; 20: 2; 43: 4; 70: 5; 75: 2; 88: 4; vox apud Ciceronem rarissima Livio et Tacito sæpe usitata. — *Pavere* cum Accusativo junctum C. 31: 3 *mulieres — omnia pavere* [2]); ut nonnumquam apud Livium, sæpe apud Tacitum. — *Pavescere* J. 72: 2 *circumspectare omnia et omni strepitu pavescere;* vox fere argenteæ ætatis scriptoribus usitata. — *Pavidus* J. 12: 5; 60: 4; 103: 4; hoc vocabulo primus Sallustius inter solutæ orationis scriptores videtur usus esse. — *Pensare* pro compensare H. III: 82, 19 *nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur;* vox illa ab argenteæ demum ætatis scriptoribus frequentari coepta est. — *Pensi aliquid habere, esse*, locutio cujus omnino haud est frequens usus, C. 5: 6 *neque, id quibus modis assequeretur, — quidquam pensi habebat* [3]); 12: 2 *nihil pensi neque moderati habere;* 23: 2 *prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat;* J. 41: 9 *nihil pensi neque sancti habere;* C. 52: 34 *quibus si quidquam umquam pensi fuisset non ea consilia de republica habuissent.* — *Perdomare* H. I: 9 *omni Gallia perdomita;* hoc vocabulum apud Ciceronem et Cæsarem non invenias. — *Pergere* cum Accusativo junctum J. 79: 5 *maturavere iter pergere.* Cfr. Tac. Ann. 3: 66; 4: 20. — *Peritia* pro scientia J.

---

ad *paria*, sed conjungenda sunt *erant ei cum Crasso quaedam paria.* Cfr. Reisigii scholas § 377.

1) Ita quidem contendunt Kritzius et Lexicographi (auctore Arusiano p. 253 ed. Lindem.), sed crediderim vocabulum *par* h. l. cum Genitivo *moenium* esse junctum (ut apud Cic. in Pis. c. 4 *illum cujus paucos pares haec civitas tulit.* Plaut. Rud. prol. 49 *par illius*), atque Ablativum *altitudine*, qua ratione pares sint, demonstrare.

2) Eodem fere sensu, quo Livius 5: 42 dixit: *pavere ad omnia.*

3) Cfr. Krueg. Gram. II, p. 462 n. 3 qui quidem in eo videtur errare, quod dicit, *neque quidquam* adverbialiter positum esse pro *non;* nam vocabulum pensi non est genitivus pretii, sed ex voce *quidquam* pendet.

46: 8 *peritia locorum et militiae;* H. I: 102 *ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus;* apud alium quemquam hujus ætatis scriptorem non exstat. — *Permixtio* pro confusione, perturbatione J. 41: 10 *dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.* Rarissima illa vox eodem sensu legitur Aurel. Vict. Cæs. 41. In Ciceronis Ep. 12 ad Fam. significat *rem permixtam.* — *Pertingere* pro pertinere J. 48: 3 *collis — in immensum pertingens.* — *Pervertere* paulo insolentius usurpatum H. III: 77, 16 *ei illudebant simul, nefandum in modum perverso vulnere* i. e. telo in vulnere versato sive agitato, ut Kreyssigius hunc locum explicat. — *Pessumdari* sequente *ad* præp. et Accusativo substantivi J. 1: 4 *sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est;* brevitatis causa pro: ita depravatus est, ut inertiam — sequatur. — *Placitus* poetarum fere vox J. 81: 1 *Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt.* Cfr. Tac. Ann. 2: 66; 4: 37. — *Pleraque, plerumque*, vox in singulari numero rarior, C. 17: 6 *Ceterum juventus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis favebat;* 23: 6 *pleraque nobilitas;* 38: 2; J. 18: 12 *Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est;* 54: 9 *exercitum plerumque in iisdem locis opperiri jubet;* 79: 2 *Carthaginienses pleraque Africa imperitabant;* 85: 21 *pleraque oratione majores suos extollunt. Plerumque* cum Genitivo junctum J. 21: 2; 98: 6; 109: 4, ut apud Liv. 45: 9. Apud Ciceronem est *plerumque* adverbii loco positum. — *Poena* J. 69: 3 *Civitas cuncta poenae aut praedae fuit; poenae esse*, quod per se vix dicitur pro: puniri, excusationem habet ab adjecta illa satis usitata dictione: *praedae esse; — poenas capere pro aliquo* J. 68: 3 paulo insolentius dictum pro: aliquem ulcisci. — *Poenitere* personaliter usurpatum H. I: 53 *Lepidum poenitentem consilii;* inc. 77 *non poeniturum;* ita Cicero Phil. 12: 2 locutus est; Liv. 36: 22. — *Pollicitari* vox Plauto et Terentio usitata C. 38: 1 *largiendo atque pollicitando magis incendere;* J. 8: 1 *Jugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant.* — *Pollutus* pro foedo ac detestabili J. 15: 5 *ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta libidine continuit;* paulo insolentius dictum videtur, quoniam licentia potius polluit, quam polluitur, sed quidquid foedum et detestabile habetur latiore sensu pollutum dicitur. — *Popularis* insolenter dictum pro socio C. 22: 1 *populares sceleris sui;* 24: 1 *quod factum primo populares conjurationis concusserat;* 52: 14 *aut a popularibus conjurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur.* — *Portare auxilia* pro ferre, apud solum Sallustium C. 6: 5. — Cfr. C. 58: 8

vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Liv. 21: 18 *bellum et pacem portamus.* — *Positus* pro situ H. II: 1 *quum praedixero positum insulae;* vox illa rarissima nonnullis locis apud Ovidium et Tacitum exstat. — *Postulare* sequente Infinitivo J. 17: 1 *Res postulare videtur Africae situm paucis exponere;* apud Ciceronem vero semper sequente *ut* vel *ne.* — *Praealtus* J. 78: 2 *proxima terrae praealta sunt;* vox illa a Livio frequentari coepta est. — *Praeceps* paulo insolentius dicitur pro proclivi J. 6: 3 *Terrebat eum natura mortalium avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem;* C. 37: 4 *Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat multis de causis;* ubi absolute est positum pro: præceps erat ad probanda Catilinæ incepta [1]). — *Praecisus* vox fere poetarum pro prærupto J. 92: 7 *iter — utrimque praecisum.* — *Praeclarus* in malam partem dicitur apud solum Sallustium J. 14: 21 *ille qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est.* — *Praedabundus* J. 90: 2 *dicitque se praedabundum post paucos dies eodem venturum;* vox præterea Liviana. — *Praedatorius*, ut apud Livium et Tacitum, J. 20: 7 *non cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere.* — *Praedicere* insolenter vim habet *antea dicendi*, ut præcipue apud Quintilianum, H. II: 1 *quum praedixero positum insulae.* — *Praedocere* J. 94: 1 *illi praedocti a duce arma ornatumque mutaverant;* vocabulum rarissimum apud Plinium quoque exstat. — *Praeeminere* H. II: 83 *omnes, qui circum sunt, praeeminent altitudine;* vox illa argenteæ demum ætatis scriptoribus usitata. — *Praepedire* pro impedire J. 28: 5 *artes quas omnes avaritia praepediebat;* vox poetis atque Livio et Tacito usurpata. — *Praesidere* Sallustius primus videtur cum Accusativo junxisse H. II: 34 *Titurium — hiemem agere jussit praesidentem socios;* III: 76 *Avellanos praesidentes agros suos;* eodem modo apud Tacitum sæpe jun-

---

[1]) Kritzius h. l. contra auctoritatem codicum legit: *praeceps ierat*, contendens "præceps non nisi cum verbo motus, neque quietis conjungi posse"; qua in re errare mihi videtur vir doctissimus. Nam lectio illa *praeceps erat*, præterquam quod omnes fere codices eam præbent, confirmatur locis ut: Liv. 23: 7 *praeceps ingenio in iram erat;* 26: 38 *praeceps in avaritiam et crudelitatem animus;* Tac. Ann. 16: 21 fin. *praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae.* Præterea mores depravatos atque corruptos populi Romani non dicit Sallustius, sed flagrantem illius cupiditatem res novandi, et eos, qui Catilinæ incepta probabant, enumerat causasque, cur ei faverent. Igitur *cunctae plebi* (§ 1) opponitur *urbana plebes* et verbis *Catilinae incepta probabat* respondet *praeceps erat.* Herzogius more suo locum ita explicat, vix ut intelligas, quomodo res sit accipienda. — Cfr. Kritz. h. l.

gitur pro eo, quod est aureæ ætatis: *praesidere* sequente *Dativo*; — absolute positum C. 57: 2 *At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat.* — *Praestare* in malam partem dicitur C. 37: 5 *qui ubique probro atque petulantia maxime praestabant.* Cfr. Tac. Ann. 2: 24 [1]). — *Praeter* adverbium est C. 36: 2 *ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis;* ut nonnullis locis apud argenteæ ætatis scriptores. — *Praevenire* J. 71: 5 *quae ipse paravisset facere, perfidia clientis praeventa;* vox illa Ciceroni quidem et Cæsari non usitata apud Livium et posteriores sæpe reperitur. — *Prior* pro potiore, præstantiore J. 10: 7 *Jugurtha qui aetate et sapientia prior es;* 50: 6 *numero priores;* 96: 3 *neque consilio neque manu priorem alium pati, plerosque antevenire;* illa vocabuli vis apud Ciceronem et Cæsarem non reperitur. — *Privus* pro experte, ignaro, insolenter dicitur H. I: 103 *Numeroque praestans, privus ipse militiae;* eodem modo dixit Apul. De Deo Socrat. c. 43 *turba imperitorum, priva verae sapientiae* [2]). — *Prodigere* pro consumere, profundere H. I: 45, 17 *nisi aliena bene parta prodegerint;* ut apud Plautum, Tacitum, Suetonium. — *Prominere* Ciceroni et Cæsari non usitata vox H. II: 2 *Sardinia in orientem latior prominet.* — *Promiscuus*, adjectivum illud uno tantummodo loco apud Sallustium, apud Ciceronem et Cæsarem nusquam, videtur exstare C. 12: 2 *divina atque humana promiscua habere.* — *Pronus* pro facili J. 80: 4; 114: 2 *alia omnia suae virtuti prona esse.* Cfr. Tac. Agr. c. 1 et 33. — *Properare* poetarum more junctum cum Accusativo J. 37: 4 *aggerem jacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare;* 105: 2 *itineris properandi causa;* 112: 2 *properato itinere post diem octavum redit ad Bocchum;* (ut apud Tacitum); sequente Supino H. III: 82, 16 *Quirites, utraque licentiam in vos auctum atque adjutum properatis;* V: 18 *video indigentiam dona quaesitum gratiae properantem;* quæ structura apud solum Sallustium videtur exstare. — *Properantia* J. 36: 3 *ex tanta properantia tam facile tractum bellum;* vox illa rarissima reperitur Tac. Ann. 12: 20. — *Propinquare* cum Accusativo junctum H. IV: 20 *tum vero Bithyni propinquantes jam amnem;* cfr. Tac.

[1]) Ita *excellere* apud Ciceronem: Verr 2: 28 *improbitate excellere;* Leg. I: 19, 51 *vitiis excellere.*

[2]) "Nam quum *privum* proprie sit, quod singulorum est, quoniam singuli e multitudine eximendi sunt, inde fluxit potestas *auferendi* sive *orbandi*, in *privare* verbo maxime conspicua. Hanc autem vim Sallustius etiam adjectivo præter consuetudinem tribuit". Kritz.

Ann. 12: 13; sequente Dativo apud Virgilium et Tacitum; vox fere poetarum pro: appropinquare. — *Propinquus* et *proximus* cum Ablativo junguntur H. IV: 31 *Verres littora Italia propinqua firmavit* J. 18: 11 *ea loca quae proxima Carthagine Numidia appellatur;* 19: 4 *proximi Hispania Mauri sunt;* structuram illam vix apud alium quemquam invenias [1]). — *Provenire* vox illa, cujus est haud ita frequens usus apud aureæ ætatis scriptores, proprie de frugibus dicitur, sed ad homines quoque transfertur C. 8: 3 *provenere ibi scriptorum magna ingenia;* quæ vis vocabuli insolentior quidem est, sed exstat tamen, ut: Plaut. Pseud. 1: 5, 155; Næv. apud Cic. de Senect. 6: 20. — *Prudens*, ut apud Livium, Nepotem, Tacitum, cum Genitivo jungitur H. I: 93 *prudens omnium, quae senatus censuerat;* IV: 19, 16 *meis militibus belli prudentibus;* contra apud Ciceronem semper sequente *in* præpositione et Ablativo aut absolute ponitur.

Quaesere H. I: 120; hujus verbi insolentiores quædam formæ exstant I: 55 *Curionem quaesivit, ut — aetati concederet Mamerci;* IV: 19, 1 *dein, quod quaesitur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit* [2]). — *Quaesitus* pro exquisito, conquisito H. II: 29, 4 *epulae quaesitissimae;* ut apud Tac. Ann. 2: 53; 3: 26. — *Quamquam* sine verbo cum adjectivo vel participio insolenter positum J. 43: 1 *acri viro et quamquam adverso populi partium fama tamen aequabili et inviolata.* Hac loquendi formula posteriores demum usi sunt, nam loci, quem e scriptis Ciceronis afferunt, Fin. 5: 23, 68 alia est ratio; de qua re vide Madvigium. — *Quasi* pro circiter, fere J. 48: 3 *ex eo medio quasi collis oriebatur;* 50: 3 *praesidio quasi duum millium peditum montem occupat;* H. I: 73 *per calonum corpora ad medium quasi, dein super astantium manibus in murum attollitur* [3]); III: 26 *quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur,* IV: 49 *demissis partem quasi tertiam antennis.* — *Quire* vox apud Ciceronem rarissima a Sallustio in affirmantibus quoque enuntiationibus usurpatur, quod quidem est insolentius J. 44: 5; 97: 4. — *Quum* sequente Infinitivo historico primus Sallustius videtur usus esse J. 98: 2 *dies consumptus erat, quum tamen barbari nihil remittere — atque acrius instare.* Ita Livius nonnumquam et Tacitus sæpe locuti sunt.

---

[1]) De hac re vide Kritz. Vol. III p. 333.

[2]) Krebsius p. 658 duas tantummodo formas exstare contendit: *quaeso* et *quaesumus.*

[3]) H. l. Kritzius monstrosam illam formam *deinsuper*, quam omnes editiones superiores præbent, emendavit atque in *dein super* mutavit; — vide Kritz. Vol. III p. 101 seqq. — Dietschius *ad medium evasit, dein superadstantium* etc. legit.

Recens adverbii loco positum H. III: 31 *inter recens domitos;* IV: 23 *coria recens detracta*, ut apud Plautum, Tacitum, Suetonium pro: modo, nuper. — *Repertor* poetarum fere vox pro inventore H. IV: 19, 7 *repertores perfidiae.* — *Reputare cum animo* J. 13: 5; 70: 5; 85: 10 pro eo, quod est usitatius: *secum reputare.* — *Requietus* vox Ovidii, Livii, ab argenteæ ætatis scriptoribus recepta pro: requiete refecto H. inc. 7 *paululum requietis militibus.* — *Restare* pro resistere H. 1: 70 *urbem multos dies restantem pugnando vincit;* ut sæpe apud Livium; cfr. Tacitum, Ann. 3: 46. — *Rogare ab Metello missionem* J. 64: 1 paulo insolentius dictum pro: rogare Metellum missionem [1]). — *Rogitare* vox fere Plauti et Terentii semel apud Sall. C. 31: 3 *Ad hoc mulieres — miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere.*

Saevire et *saevus* vocabula fere poetarum Augustea demum ætate a solutæ orationis scriptoribus frequentari coepta sunt: C. 10: 1; J. 78: 2; H. inc. 37. — C. 19: 5; J. 14: 10; 17: 5; 65: 3; 100: 5; H. III: 1, 5; III: 82, 10. — *Saltuosus* apud primum Sallustium invenitur J. 38: 1; 54: 3 (Liv. Tacit.) — *Salubris* apud Ciceronem id, quod sanitatem affert, apud Sallustium et posteriores etiam id, quod sanum sive sua natura robustum est, significat J. 17: 6 *genus hominum salubri corpore.* — *Scaevus* non videtur apud alium quemquam hujus ætatis scriptorem exstare, H. 1: 45: 5 *scaevus iste Romulus*. Gell. Apul. — *Scelestus* poetarum more de hominibus dicitur pro scelerato C. 51: 32 *homines scelestos et factiosos;* 52: 15 *quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint;* H. III: 1, 1; IV: 19, 2; inc. 64. — *Scilicet*, ut apud Plautum, Terentium, Lucretium, sequente Accusativo cum Infinitivo, qua in structura primaria vocabuli vis (= scire licet) elucet; ut exstat Liv. 1: 39 et apud Lucret. I: 680, 860; II: 744. J. 4: 5 *Nam saepe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit* [2]). 102: 9 *Sed quoniam humanarum rerum For-*

[1]) Ita fortasse hoc tantummodo loco, nam quod olim legebatur Cic. Fam. 13: 1, 2 — *agam. Nunc a te illud rogabo*, nunc legitur — *agam nunc. Ac te illud rogabo;* quæ quidem in optimis codicibus exstat lectio.

[2]) Kritzius quidem h. l. contendit, Accusativum cum inf. non pendere ex vocabulo *scilicet*, sed repetendum esse ex antecedentibus verbis *solitos dicere*, ita ut ex iis sit eliciendum: *scilicet*, quum ita dicerent, *censebant, non ceram* etc., et causæ, quas ad illam rem comprobandam affert, hæ fere sunt: si

tuna pleraque regit, cui scilicet placuisse te et vim et gratiam nostram experiri, nunc — uti coepisti perge. 113: 3 *quae scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse.* H. I: 51: 5 *At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse.* — *Scindere* pro dividere H. IV: 33 *omnis Italia scinditur in duo promontoria.* Cfr. Tac. Germ. 43 *dirimit scinditque Sueviam continuum montium jugum.* — *Secus* pro sexu H. II: 29, 1 *concurrentium undique virile et muliebre secus omnium;* vocabulum illud usurparunt historici, sed tantummodo in Accusativo. Liv. 26: 47. Tac. Ann. 4: 62; H. 5: 13. — *Semianimus* vox poetarum pro semivivo H. III: 77, 16 *interdum lacerum corpus semianimum omittentes;* Augustea demum ætate in solutam orationem immigravit. Liv. 28: 23; forma *semianimis* Liv. 3: 57. — *Semirutus*, H. II: 27 *semiruta moenia;* apud primum Sallustium exstat. — *Sicuti*, pro quasi, Sallustius solus videtur dixisse C. 28: 1 *cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem;* 31: 5 *Postremo dissimulandi causa et ut sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, in senatum venit;* 38: 3 *alii sicuti populi jura defenderent — certabant;* J. 60: 4 *eos, uti quaeque Jugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadverteres, ac sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari.* — *Signator* vox argenteæ ætatis scriptoribus usitata C. 16: 2 *ex illis testes signatoresque falsos commodare;* qui a Cicerone in Catil. 2: 4, 7 *testamentorum subjectores* vocantur. — *Silentium habere* solus Sallustius videtur dixisse J. 99: 1 pro: silere, silentium agere. — *Similis* a Sallustio cum Dativo semper jungitur C. 14: 4 *quotidiano usu atque illecebris par similisque ceteris efficiebatur;* J. 97: 5 *pugna latrocinio magis quam proelio similis fieri;* H. III: 6 *similem fore se credens Alexandro*

---

hæc sententia Sallustii esset, asyndeton exstare ineptum; deinde *sese* pleniorem illam formam numquam de rebus usurpari, neque Latine dici *haec res vim in se habet*, sed simpliciter *habet*. — Sed nobis contra videtur, nam quod ad asyndeton illud attinet cfr. C. 16: 3; deinde *sese* de rebus dicitur C. 2: 3 *aequabilius atque constantius sese res humanae haberent;* J. 17: 7 *ut rem sese habere cultores ejus terrae putant;* neque causa est, cur locutionem *res vim in se habet* latinam esse negemus, exstat enim Cic. Mur. 1: 1 *si illa solemnis comitiorum precatio tantam in se habet vim;* Fin. 4: 21, 58 *nihil habere in sese appetitionis;* Verr. 1: 9, 26 *quod habet lex in se modestissimum;* de Senect. 21: 78. — Præterea si statuimus verba Sallustii esse, vocabula *egregiis viris* nihil habent offensionis, neque opus est ad ea confugere, quibus Kritzius locum expedire conatus est. Dicit enim Sallustium in adversativa periodi parte ita ab instituta oratione deflexisse, ut, quum primo ex Maximi et Scipionis mente dixisset, in sententiam generalem transiret, ideoque pro *sibi* poneret *egregiis viris*.

regi; IV: 36. — *Situs* insolenter de hominibus dictum H. IV: 19, 17 *socios amicos procul juxta sitos.* Cfr. Tac. Agr. 30; Ann. 12: 10 — *Socordia*, vox Ciceroni et Cæsari non usitata, sæpe apud Sallustium et posteriores exstat. — *Socors*, cui voci stultitiæ vim subjicit Cicero, apud Sallustium pro securo, negligente J. 100: 1 *neque tamen victoria socors aut insolens factus; sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere;* H. III: 82, 8 *quos languidos socordesque pertimuere;* eodemque modo adverbium *socordius* H. III: 86. — *Solere* absolute positum C. 29: 2 *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit;* 30: 2 *simul id quod in tali re solet, alii — nuntiabant.* J. 15: 5 *veritus, quod in tali re solet, ne* etc. 25: 3 *ut in plerisque negotiis solet.* 59: 3 *non, ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere.* 66: 2 *vulgus, ut plerumque solet, — discordiosum erat.* H. I: 73 *nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine.* II: 64 *neque subsidiis, ut soluerat, compositis.* III: 52; 78; 89 [1]). — J: 96: 3 *quod prava ambitio solet*, paulo insolentius cum subjecto et pronominis Accusativo ita est conjunctum, ut sensus sit: *qui pravae ambitionis mos est.* — *Solitus* more poetarum pro consueto H. III: 77, 7 *desiderans solita a fugitivis convicia;* 90 *his praeter solita vitiosis magistratibus.* — *Solvere injuriam* pro: finem injuriæ imponere H. 1: 45, 15. Cfr. *morem solvere* Liv. 1: 49, Curt. 8: 8, 18. — *Sonor* vox poetarum pro sonu, sonitu H. III: 77, 7 *strepitus tumultuosi sonores* [2]). — *Spectare*, ut apud Liv. 33: 17, cum Accusativo solo junctum H. III: 61 *Creta altior est, qua parte spectat orientem* pro eo, quod est apud Ciceronem et Cæsarem: *spectare ad* vel *in.* — *Sperare* sequente Accusativo substantivi C. 40: 2 *requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent.* 58: 16 *in fuga salutem sperare.* J. 24: 5 *amicitiam vestram et regnum meum sperare.* H. II: 50, 2 *ne mortem quidem honestam sperare licet;* rarior illa quidem est apud veteres structura, exstat tamen, ut: Cæs. Bell. C. 3: 96 a quo genere hominum *victoriam sperasset.* — *Stagnare* vox poetarum ab argenteæ ætatis scriptoribus usu recepta. H. III. 26 *nam omnia oppidi stagnabant*, (i. e. inundata erant) *redundantibus cloacis adverso aestu maris;* vi transitiva Tac. Ann. 1: 76. — *Strepere* vox Ciceroni et Cæsari non usitata J. 94: 1 *gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis — offensa quo levius streperent.* 98: 6 *barbari — strepere vocibus.* — *Studere* absolute positum (ut *favere* apud

---

[1]) Rarior illa quidem structura, exstat tamen Cic. Cluent. 59, 161 *quum quaedam in collibus, ut solet, controversia pastorum esset orta;* et apud Plaut. et Terent.

[2]) Hoc igitur vocabulum non apud solum Tacitum, si poetas exceperis, reperitur, ut putat Krebsius Antib. p. 734.

Ciceronem Planc. 3: 7 *qui aut invidet aut favet)* C. 51: 13 *neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet;* insolentius pro eo, quod apud Ciceronem dicitur: *studere alicui* sive *favere alicui* [1]). — *Subdolus* C. 5: 4 *Animus audax, subdolus, varius.* J. 38: 1 *At Jugurtha cognita vanitate atque imperitia legati subdolus ejus augere amentiam;* vox fere poetarum semel apud Cæsarem Bell. Gall. 7: 31 et nonnullis locis apud Tacitum invenitur. — *Subigere* sequente Infinitivo C. 10: 5 *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit.* 51: 18 *Nam profecto aut metus aut injuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae novum decernere.* J. 31: 4 *obviam ire factionis potentiae animus subigit.* 44: 4 *quum odor aut pabuli egestas locum mutare subegerat;* rarior illa structura apud Livium, Tacitum, alios nonnumquam exstat pro: *subigere, ut, ad* vel *in* sequente Accusativo. Cicero autem dicit *eo adigere, ut.* — *Sublimus* insolens forma pro sublimi [2]). H. III: 14 *sublima nebula coelum obscurabat.* Cfr. Lucret. 1: 341. — *Subvertere* vox Ciceroni et Cæsari non usurpata C. 10: 4; 13: 1; J. 30: 1; 94: 4; H. I: 45: 3; 48: 8 et 10; IV: 19, 15. — *Suetus* H. I: 10 *cetera — oriri sueta mala.* II: 77 *genus suetum latrociniis;* 78 *genus rapinis suetum magis quam agrorum cultibus;* vox poetis, Livio, Tacito usitata. — *Suggredi*, cujus vocis est apud Tacitum frequens usus, Sallustius primus dixit H. IV: 68 *stolide castra suggressus.* — *Super* pro *de* dicitur, id quod rarius est apud aureæ ætatis scriptores J. 71: 5 *lacrimans obtestatur, ne super tali scelere suspectum sese haberet.* Cfr. Cic. Att. 14: 22, 2; 16: 6, 1. — paulo insolentius præstantiam designat J. 64: 2 *ne super fortunam animum gereret.* 95: 4 *numquam super industriam fortuna fuit;* quo sensu *supra* a Cicerone ponitur [3]). — *Superare* paulo insolentius pro: redarguere J. 85: 27 *Nam me quidem, ex animi mei sententia, nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant* i. e. vi veritatis vincunt et ita refellunt (imagine a certantibus sumpta). — *Superjacere* vox fere poetarum H. II: 81 *Euri atque austri superjactis fluctibus.* Insolentior illa participii

---

[1]) Apud argenteæ ætatis scriptores coepta est dici *studere* pro: *literis, artibus studere.*

[2]) Quod quidem adjectivum nemo solutæ orationis scriptor ante Livium videtur usurpasse. Cicero *sublime* adverbii loco semper posuit. Cfr. Kuehner. Cic. Tusc. 1: 17, 40.

[3]) Animadvertendum est H. fragm. inc. 28: *ubi multa nefanda casu super ausi atque passi* i. e. præter ea, quæ casu accidebant. De structura cfr. Horat. Sat. 2: 6, 3 *modus agri non ita magnus, Hortus ubi et tecto vicinus jugis aquae fons. Et paulum silvae super his foret;* rarius pro eo, quod est apud solutæ orationis scriptores (argenteæ vero ætatis): sequente *Accusativo.*

forma a Tacito usurpatur H. 5: 6 pro ea, quæ est usitatior: *superjectus*. — *Superstare* vox Livio frequenter usitata J. 60: 7 *qui superstiterant, afflicti sunt*. Virgil., Ov. — *Supervadere* J. 75: 2 *omnes asperitates supervadere — aggreditur*. Vox illa rarissima apud Livium nonnullis exstat locis. — *Supplicium* pro supplicatione, ut apud Livium et Tacitum, C. 9: 2 *in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant*. 52: 29 *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur*. J. 55: 2 *Itaque Senatus ob ea feliciter acta diis immortalibus supplicia decernere;* atque etiam insolentius pro precibus ad homines factis J. 46: 2 *Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit*. 66: 2 *Vagenses — fatigati regis suppliciis*. Sallustius in utraque significatione tantummodo plurali numero usus est. — *Supra repetere* insolentius pro: altius, longius repetere C. 5: 9; J. 5: 3. Cfr. Tac. Ann. 16: 18. — *Suspicere* pro: suspicari, suspectum habere apud solum Sallustium J. 70: 1 *suspectus regi et ipse eum suspiciens;* significatio illa, participii præt. propria, participio præsentis concinnitatis causa videtur esse subjecta. *Suspectus* insolenter jungitur H. I: 48 *suspecta in tumultum erat*, brevitatis causa dictum pro: suspecta erat proclivis esse ad tumultum.

Taedium pro satietate Sallustius primus inter solutæ orationis scriptores videtur usurpasse J. 62: 9 *quum modo taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret*. H. I: 45: 7 *nisi forte speratis taedium jam aut pudorem tyrannidis Sullae esse*. — *Temperare* absolute positum pro: modum servare J. 85: 9 *illis difficile est in potestatibus temperare;* cfr. Liv. 2: 52 *in multa temperarunt tribuni;* 6: 17; — sequente Dativo C. 11: 8 *nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent* i. e. victoria moderate uterentur; ita apud Livium multis locis et apud Tacitum H. 3: 31. Apud Ciceronem *temperare* cum Dativo junctum idem est quod *parcere*. — *Tempestas* poetarum more pro tempore sæpe apud Sallustium reperitur, quem morem secuti sunt Livius et Tacitus; C. 7: 1; 17: 7; 22: 1; 24: 3; 36: 4; J. 8: 1; 13: 7; 30: 4; 32: 5; 35: 1; 37: 1; 40: 5; 65: 5; 78: 2; 90: 1; 104: 4; H. IV; 19: 10; — in plurali numero C. 53: 5; J. 73: 7; 96: 1; 108: 2. Cfr. Liv. 1: 5; 10: 11. — *Tendere* pro contendere, ut sæpe apud Livium, C. 60: 5 *videt Catilinam contra ac ratus erat magna vi tendere*. — *Terga sumere atque reddere* insolenter dixit Sallustius H. incert. 21 pro: insequi et rursus fugere [1]. — *Terrere* sequente *a* præpositione et Ablativo H. I:

[1]) "Novo modo Sallustius dixit *terga sumere atque reddere* pro *insequi et rursus fugere*, utrumque repetens a vulgatis locutionibus *terga dare* vel *praebere* (v. Drakenb. ad Liv. 36: 38, 4.); quemadmodum enim, qui fugit, ipse terga *dat*. sc. *ferienda persequenti*, ita, qui persequitur, fugientis terga sibi

45, 6 *metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini.* Apud Cæsarem et Tacitum *terrere*, *quominus;* apud Livium sequente *ne.* — *Testari aliquem quid* H. IV: 19, 10 *ea, quae accidere, testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemaeum;* locutio illa, quam vix apud alium quemquam reperias, eo videtur excusari, quod voci *testandi* simplex vel personæ vel rei Accusativus legitime adjungitur. — *Tolerare* more poetarum sequente Accusativo et Infinitivo C. 20: 11 *quis mortalium — tolerare potest, illis divitias superare.* Cfr. Tac. Ann. 3: 3. — *Torpedo* H. I: 51, 19 *si tanta torpedo animos oppressit.* III: 82, 20 *cujus torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro injuriae gratiam debere?* ib. 26 *occupavit nescio quae vos torpedo;* vox illa rarissima semel exstat apud Tacitum H. 3: 63 et in Epist. II ad Cæs. de rep. ord. (8: 7). — *Torpescere* C. 16: 3 *scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat.* J. 2: 4 *ingenium — incultu atque socordia torpescere sinunt.* Cfr. Tac. H. 1: 71 *deliciis et desidia torpescere.* Proprie dicitur de corpore apud Ovid. Plin. — *Tractare rempublicam* pro: gerere, administrare C. 51: 28; J. 41: 2; ut apud Livium 23: 28 *bellum tractare;* Tacit. Ann. 2: 67 *regnum tractare.* — *Trahere animis*, J: 84: 4 *cum animo* 93: 1, pro: secum agitare, apud solum Sallustium exstat. Cfr. J. 97: 2 *belli atque pacis rationes trahere* i. e. perpendere. *Trahere consilium* pro: capere J. 98: 3 *Tum Marius ex copia rerum consilium trahit* i. e. repetit vel sumit; *pecuniam trahere* C. 20: 12 pro: conficere vel lacerare. — *Transenna* pro fune H. II: 29, 3 *Sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat.* — *Transgredi* translate dictum pro: excedere H. inc. 46 *communem habitum transgressus;* ut apud Vellejum et Plinium. — *Transgressus* pro transitu H. I: 64 *vitare proelium in transgressu conatus.* Cfr. Tac. Ann. 6: 37 *auspicium prosperi transgressus* [1]); 11: 10 *in cujus* (amnis) *transgressu.* — *Transire vitam* pro: degere C. 1: 1; 2: 8 ut apud Senec. Ep. 45: 12. Prov. 4. — *Transversum* (aliquem) *agere* pro: a recta via deflectere J. 6: 3 *quae* (opportunitas) *etiam mediocres viros spe praedae transversos agit.* 14: 20 *Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae parum cognita transversos agat.* Cfr. Senec. Ep. 8: 3 *ne resistere quidem licet, quum coepit transversos agere felicitas; ferre*, de Ira 1: 8; Quintil. Inst. Or. 10: 1, 110. —

data *sumit*, atque ubi ipse ex persequendo in fugam se convertit, terga *reddit*". Kritz. l. l.

[1]) Freundius (Lexic. p. 792) igitur in eo erravit, quod statuit hanc vocem tantummodo in Ablativo singulari exstare. Omnino de illo Taciti loco prorsus tacuerunt Lexicographi.

Trepidus vox illa poetarum a Sallustio primo in solutam orationem recepta est J. 40: 4; 55: 2; 91: 5; 97: 5. — *Triplex* H. IV: 38 *triplici fluctu* [1]). — *Tueri;* rariorem participii formam Sallustius usurpavit J. 74: 3 *Numidas magis pedes quam arma tuta sunt* pro: tutata sunt [2]). — *Turbamentum* H. I: 45, 25 *quae si vobis pax et concordia intelliguntur, maxima turbamenta reipublicae atque exitia probate;* vox illa rarissima exstat apud Tacitum H. 1: 23.

Ulcisci vi passiva insolenter dictum J. 31: 8 *quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit.* Eodem modo Livius 2: 17; 5: 49 dixit.

Vastare paulo insolentius dictum C. 15: 4 *conscientia mentem excitam vastabat* i. e. turbabat. Cfr. J. 41: 9 *avaritia — polluere et vastare omnia.* — *Vastus animus* C. 5: 5 dicitur pro: animo modum excedente et profunda cupiditate exagitato. — *Vecordia* vox fere poetarum et Taciti propria C. 15: 5 *prorsus in facie vultuque vecordia inerat,* J. 5: 2 *contentio — eo vecordiae processit, ut* etc. 72: 2 *ita formidine quasi vecordia exagitari.* 94: 4 *Mario vecordiam objectare.* 99: 3 *ita cunctos — formido quasi vecordia ceperat.* — *Venenum* ex usu antiquorum pro medicamine dictum C. 11: 3 *ea* (avaritia) *quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat.* — *Venum dare, ire* Ciceroni non usitatæ locutiones J. 91: 6 *Numidae puberes interfecti, alii omnes venumdati, praeda militibus divisa.* H. I: 45. 17 *bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam.* J. 28: 1 *Romae omnia venum ire.* — *Verticosus* vox rarissima H. IV: 37 *mare verticosum.* Liv. 21: 5. — *Vertere* pro recidere H. inc. 57 *nam talia incepta ni in consultorem vertissent, reipublicae pestem factura.* Tac. Ann. 11: 37 *Ni caedem Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem.* — *Vesci* cum Accusativo junctum H. III: 28 *morbi graves ob inediam insolita vescentibus;* ut Tibull. 2: 5, 64. Tac. Agr. 28; absolute positum C. 13: 3. — *Vetus* paulo insolentius de ætate hominum dicitur, H. II: 29, 5 *veteres et sanctos viros*, pro eo, quod est usitatius: *senex, magnus natu.* Tac. Ann. 6: 31. — *Vitabundus* vox Ciceroni et Cæsari non usurpata J. 38: 1 *ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare.* 101: 9 *solus inter tela ho-*

[1]) Hoc vocabulum commemoravi, quod Lexicographi contendunt id h. l. dictum esse pro magno, ingenti; quod falsum esse ex eo intelligitur, quod de Charybdis vertice ter in die fluctus movente dictum est. Cfr. Homeri Odyss. 12: 104. Isidor. 13: 18, 5. — Servius ad Virg. Aen. 1: 120 his Sallustii verbis id significari censet, quod Græci τρικυμίαν vocant, sed τρικυμία latine est *decumanus fluctus.*

[2]) Dietschius autem legit; *Numidis — tuta sunt.*

stium vitabundus erumpit. Insolenter cum Accusativo junctum H. III: 20 *vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.* J. 60: 4 *vitabundi aut jacientes tela.* Liv. 25: 13 *Hanno vitabundus castra hostium consulesque loco edito castra posuit.* — *Vocabulum* pro nomine H. II: 4 *ex suo vocabulo insulae nomen dedit.* Tac. Ann. 12: 27; 66; 13: 12. — *Volens* pro benevolo, propitio J. 14: 19; 73: 3; 103: 6; H. IV: 56 *Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur* i. e. *plebi faventia* ideoque *grata acceptaque;* h. l. benevolentiæ notio, quæ est hominum propria, ad res paulo insolentius translata est. Cfr. Tac. Ann. 15: 36 *haec atque talia plebi volentia fuere;* H. 3: 52 *Muciano volentia rescripsere.* Locutio illa: *mihi est aliquid volenti* ex usu Græcorum est repetita [1]) et significat: volo aliquid, J. 84: 3 *ceterum supplementum etiam laetus decreverat, quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum aut studia vulgi amissurus.* 100: 4 *ut militibus exaequatus cum imperatore labor volentibus esset.* Cfr. Liv. 21: 80. Tac. Ann. 1: 59. Agr. 18. — *Volvere* pro considerare, Ciceroni non usitatum; *secum* C. 32: 1; J. 113: 1; *cum animo* J. 6: 2; 108: 3; his vocabulis non additis C. 41: 3 *haec illis volventibus*, quæ structura rarior est. — *Vultus corporis* paulo insolentius dicitur J. 113: 3; vox *corporis* videtur oppositionis causa esse addita.

Nonnullis etiam verbis obsoletis Sallustius utitur, quorum tamen numerus rarior est, quam vulgo creditur.

Calvere pro decipere, frustrari H. III: 96 *Contra ille calvi ratus quaerit extis, num somnio portenderetur thesaurus.* (Pacuv.). — *Commercari* J. 66: 1 *arma tela, alia, — reficere aut commercari.* (Plaut.). — *Dextimus* J. 100: 2 *Sulla cum equitatu apud dextimos — curabat.* (Varro.). — *Ductare* vox præcipue Plautina C. 11: 5 *exercitum;* 17: 7; J. 38: 1; 70: 2. C. 19: 3 *Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est.* Tac. H. 2: 100. — *Inquies* pro: non quieto H. I: 8; 51, 11 et 16; II: 45; IV: 60. Plinius, Vellejus, Tacitus hoc vocabulum usu receperunt. — *Luxus* pro eo, quod est: luxatus, e suo loco motus H. V: 2 *luxo pede;* cfr. Fest. p. 89 ed. Lindem. (Cato de Re Rust. 160). — *Nave* pro naviter J. 77: 3 *imperata nave fecerant.* (Plaut.). — *Obsequela* pro obsequio H. II: 58 *Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis et maxime odium Sullae*

---

[1]) Cfr. βουλομένῳ μοί ἐστι. Vide Kruegeri Gramm. Gr. § 48: 6, 4.

graves carique erant. (Plaut.) — *Pendere parvi* C. 12: 2; 52: 9. (Plaut. Terent.) — *Prosapia* pro progenie J. 85: 10 *hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum.* (Plaut.) [1]) — *Sallere* pro salire H. III: 7 *Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.* — *Satias* pro satietate H. II: 35 *frumenti ex inopia gravi satias facta;* voce illa antiquorum etiam Livius et Tacitus usi sunt. *Senectus* pro eo, quod est: senio confectus H. IV: 64. *Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat;* inc. 86 *senecta jam aetate.* (Plaut. Lucret.).

Verba, quæ apud solum Sallustium aut apud infimæ tantummodo ætatis scriptores inveniuntur, hæc fere sunt:

Advecticius pro importato J. 44: 5 *ea mutare cum mercatoribus vino advecticio et aliis talibus.* — *Circumlavere* H. II: 81 *Dubium, an insula sit, quod euri atque austri superjactis fluctibus circumlavitur.* — *Decor* (vel *decoris, e*) pro decoro H. III: 11 *equis et armis decoribus cultus.* — *Dedecor* pro inglorio H. III: 91 *dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur* [2]). — *Desenescere* H. I: 95 *nisi quum ira belli desenuisset;* pro languescere. — *Discordiosus* pro: discordiarum pleno J. 66: 2 *vulgus — seditiosum atque discordiosum erat* [3]). — *Gnaritas* pro scientia H. III: 78 *alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam, pars globis eruptionem tentavere* [4]). — *Immutilatus* pro: non mutilato [5]) H. IV: 48 *In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbo patibulo affigebatur* [6]). — *Mador* H. III: 26 [7]). — *Pergnarus* H. IV: 22 *Hi locorum pergnari* [8]). — *Perincertus* H. IV: 50 *perincertum stolidior an vanior.* — *Portatio* C. 42: 2 *nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant* [9]). — *Relidere* H. IV: 35 *in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit* [10]). — *Requisitum* H. inc. 20 *Profectus quidam Ligus ad requisita naturae.*

---

[1]) Cicero de Universo c. 11: *Memoremus Jovem atque Junonem, reliquos, et eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam.* — Cfr. Quintit. Inst. Or. 1: 6, 40; 8: 3, 26.

[2]) Stat. Theb. 11: 760 Auson. Ep. 9: 5. [3]) Sidon. Ep. 6: 2.

[4]) Ammian. 16: 2.

[5]) Lexicographi (Freund. Forcellin.) hoc vocabulum idem esse quod *mutilatus* sive *mulcatus* contendunt; sed de ea re cfr. Kritz. h. l. Dietsch. ad IV: 40.

[6]) Cod. Theod. 4: 22, 1. [7]) Apul. Ammian. 20: 6. [8]) Apul.

[9]) Vitruv. 10: 1. [10]) Prudent.

(Vide Quintil. Inst. Or. 8: 6, 59)[1]. — *Tumulosus* J. 91: 3. — *Virgultus* i. e. virgultis obsitus H. inc. 8 *consedit in valle virgulta nemorosaque*[2]).

Restat ut, quam in arte grammatica rationem secutus sit Sallustius, videamus. Sed quoniam earum rerum, quæ ad hoc genus pertineant, jam unam aut alteram supra commemoravimus, rem paucis absolvam ejusque quandam quasi summam tantummodo proponam, ita ut, quæ ab usitata dicendi consuetudine maxime videantur recedere, ea potissimum in uno quasi conspectu oculis legentium subjiciantur.

Quæ igitur ad *Etymologiam*, quam vocant, pertinent, hæc fere sunt: *Substantivorum* nonnullæ exstant formæ insolentiores, ut: *navim* J. 25: 5; formæ Genitivi: *Senati* C. 30: 3; 36: 5; 38: 2, 3; 51: 36; 53: 1; J. 22: 2; 25: 11; 28: 3; 31: 25; 40: 1; H. inc. 62; *tumulti* C. 59: 5; *die* J. 21: 2; 52: 3; 97: 3; *acie* H. I: 107; *requie* I: 99; *Minonis* (pro: Minois) H. II: 5; *civitatium* C. 40: 2; formæ Dativi: *fide* J. 16: 3; 74: 1; *luxu* J. 6: 1; *nisu* J. 94: 2; forma Ablativi: *diu* (noctuque) H. II: 63. Accusativus pluralis in *is* frequenter exit; insolens forma accus. plur. *vis* exstat H. III: 84. In singulari numero insolenter posita: *angustia* H. IV: 35; *catena* I: 23; *insidia* II: 22; *primordium* I: 7; *radix* inc. 6. Nonnulla etiam substantiva in numero plurali insolenter posita reperiuntur, ut: *cultus* H. II: 78; *dominationes* I: 11; *equitatus* J. 46: 7; *famae* H. I: 66; inc. 42; *gloriae* J. 41: 7; *multitudines* C. 50: 1; *paces* J. 31: 20; *portationes* C. 42: 2; *quietes* 15: 4; *saevitiae* H. I: 10; *vestes* H. III: 58. Masculina nomina sunt: *forus* H. I: 76; *vadus* I: 68; *vulgus* J. 69: 2; 73: 5; *serpens* 89: 5.

Adjectivorum exstant minus usitatæ formæ, ut: *Gallius* H. IV: 22; *Saguntius* II: 28 pro Gallico, Saguntino; *inermus* J. 107: 1; 113: 6; H. I: 51, 18; *ceteri*, *plerique* in singulari numero. Interdum comparationis gradus paulo insolentiores reperiuntur, ut: *dextimus* J. 100: 2; *paucior* J. 49: 2; H. III: 1, 5; *paucissimus* J. 17: 2, 7; *purgatior* H. II: 87; *sollertissimus* J. 96: 1 *strenuissimus* C. 61: 7.

Verborum denique formæ insolentiores sunt: *abnuiturus* H. I: 37; *agnoturus* II: 73; *arguiturus* II: 57; *juvaturus* J. 47: 2; *intellegerint* H. I: 45, 23; *neglegisset* J. 40: 1; *nequitur* 31: 8; *quaesitur* H. IV: 19, 1; *soluerat* II: 65.

---

[1]) Ammian. 23: 6. [2]) Sil. 12: 354; ubi alii *occulta* legunt.

Ad *Syntacticam*, quam vocant, partem transeamus; in qua commemoranda sunt hæc fere:

Constructio illa **κατὰ σύνεσιν**, qua fit, ut nomini collectivo pluralis adjectivi vel participii numerus subjiciatur, a Sallustio nonnullis locis usurpatur: J. 14: 15 *pars in crucem acti*, *pars bestiis objecti;* 31: 10 *pars triumphos suos ostentantes;* 58: 2 *magna pars vulnerati aut occisi;* 60: 7 *magna pars vulneribus confecti abeunt;* 62: 7 *eorum magna pars — adducti;* 66: 4 *pars edocti ab nobilitate.* Nominibus collectivis pluralis verbi numerus raro adjungitur J. 73: 3 *plebes — acceperant;* H. II: 59 *Ruuntque pars magna;* IV: 19, 18 *pars magna justos dominos volunt.* C. 49: 2 *uterque cum illo graves inimicitias exercebant;* 48: 5 *pars tametsi verum existimabant;* C. 7: 1 *coepere se quisque magis extollere;* J. 84: 4 *quisque animis trahebant;* H. I: 66 *quum quisque — contenderent;* inc. 29 *sese quisque bonum et strenuum ostentantes.* C. 6: 2 *alius alio more viventes;* 22: 2 *alius alii tanti facinoris conscii;* 52: 28 *alius alium exspectantes cunctamini;* J. 46: 4. H. I: 45, 20.

Post complura substantiva feminina prædicatum vel pronomen in neutro plurali ponere amat Sallustius, ut: C. 3: 4 *audacia*, *largitio*, *avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur.* 5: 7 *inopia et conscientia*, *quae utraque — auxerat.* 10: 3 *pecuniae deinde imperii cupido crevit; ea — fuere.* 20: 2 *Ni virtus fidesque — spectata forent.* 31: 1 *laetitia atque lascivia*, *quae diuturna quies pepererat.* J. 38: 8 *Nox atque praeda — remorata sunt.* 41: 3. 52: 4. 68: 1. 85: 30 [1]).

Appositio, quæ dicitur, partitiva vel distributiva reperitur C. 2: 1; J. 14: 15; 19: 1; 50: 4; 57: 4; 74: 1; 104: 3 *Mauri — tres Romam profecti sunt*, *duo ad regem redeunt.*

Accusativo illo, quem vocant Grammatici, Græco Sallustius utitur H. III: 91 *dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur.*

Dativus incommodi paulo insolentius usurpatur C. 32: 3 *neque insidiae consuli procedebant* [2]).

Genitivus permultis adjectivis, quæ vocant, relativis additur, ut apud poetas et posteriores solutæ orationis scriptores: *aeger consilii;* H. IV: 76; C. 40: 3 *alienus consilii;* H. V: 15 *cupientissimus legis;* III: 99 *dubius consilii;* I: 112 *egregius militiae;* III: 10 *ingens virium atque animi;* C. 3: 4 *insolens* [3]) *malarum artium* H. IV: 6

[1]) Cfr. Cic. Fin. bon. 3: 11, 39.

[2]) H. l. vocabulum *intentae* a librariis omissum putat Dietschius.

[3]) Ut apud Cic. Att. 2: 21.

vera accipiendi; J. 39: 1 *insolitus rerum bellicarum* H. II: 79 *servitii;* I: 114 *insuetus libertatis;* II: 92 *laetus frugum pabulique;* C. 7: 6 *liberalis pecuniae* [1]); C. 52: 36 *manifestus rerum capitalium;* J. 35: 8 *tanti sceleris;* C. 5: 4 *profusus sui;* H. II: 18 *promptissimus belli;* J. 90: 1 *vacuus frugum.*

Genitivus "animi" nonnullis subjicitur adjectivis, quæ sunt: *anxius* H. IV: 75; *atrox* II: 93; *firmatus* III: 15; *immodicus* I: 113; *incertus* III: 92; *inquies* IV: 60; *nimius* IV: 74; *territus* IV: 7.

Genitivus vocabulo *eo* additur, ut: J. 1: 5 *eo magnitudinis procedebat;* 5: 2 *eo vecordiae;* 14: 3 *eo miseriarum;* quam loquendi consuetudinem Cicero et Cæsar prorsus aspernati sunt.

Genitivus "loci" vel *"locorum"* pronominibus *id*, *ea* subjicitur, ut: C. 45: 3 *ad id loci;* J, 75: 7; J. 63: 6 *ad id locorum;* J. 72: 2 *post id locorum;* 102: 1 *post ea loci.*

Ablativus ad significandam temporis diuturnitatem ponitur J. 54: 1.

Ablativus, qui dicitur, localis omissa præpositione interdum usurpatur, ut J. 75: 7 *tanta coelo missa vis aquae;* 17: 5 *terra coeloque penuria aquarum*; 79: 2 *Carthaginienses pleraque Africa imperitabant* [2]); H. IV: 19, 21 *si tu Mesopotamia*, *nos Armenia circumgredimur exercitum.*

Ablativus absolutus paulo insolentius ita ponitur, ut ad subjectum enuntiationis non referatur, quam quidem legem diligentissime sequi solent scriptores latini: J. 10: 1 *parvum ego te*, *Jugurtha*, *amisso patre*, — *in meum regnum accepi.* 101: 9 *Jugurtha*, — *dextra sinistra omnibus occisis*, *solus* — *erumpit.* H. I: 51, 3 *Pro di boni*, *qui hanc urbem*, *omissa cura*, *adhuc tegitis.* Cfr. C. 18: 6 [3]).

Adjectiva in neutro genere substantive posita sæpe inveniuntur maximeque cum præpositione quadam conjuncta, ut: *ad postremum* H. I: 11; I: 51, 5; *in immensum* J. 48: 3; 92: 5; *in medium* H. IV: 40;

---

[1]) Concinnitatis causa dictum esse videtur propter vocem præcedentem: *laudis avidi.*

[2]) Ad similitudinem locutionis, ubi vocab. *totus* substantivo est additum.

[3]) H. 1 commemoranda est negligentia quædam orationis J. 98: 4 *ipse* — *dispersos milites*, *neque minus hostibus conturbatis*, *in unum contrahit;* ablativos absolutos, qui interponi sine copula debebant, cum participio conjunxit Sallustius, quasi præcessisset *dispersis militibus.* Scribi debuerat: *ne hostibus quidem minus conturbatis.* Cfr. Liv. 25: 35 *inter exercitus ducesque* — *gratulatio ingens facta*, *imperatore tanto cum omni exercitu deleto*, *et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes.*

in planum J. 49: 6; *in postremum* H. III: 82, 12; *in praesens* C. 16: 3; H. IV: 19, 19; IV: 72; *in unum* C. 17: 2; J. 11: 2; 50: 5; 51: 3; 81: 2; 98: 4; *de improviso* C. 28: 1; J. 38: 4; 99: 1; 107: 6; *ex composito* H. II: 62; *ex improviso* J. 14: 11; 16; 20: 3; 53: 1; 58: 1; *ex commodo* C. 10: 5; *ex occulto* J. 59: 2; *in aperto* J. 5: 3; *in dubio* C. 52: 6; *in excelso* C. 51: 12; *in extremo* C. 52: 11; J. 23: 2; *in incerto* C. 41: 1; J. 38: 5; 46: 8; 51: 2; *in medio* C. 19: 6; *in obscuro* C. 51: 12; *in occulto* J. 85: 23; *in primo* J. 68: 4; *in propatulo* C. 13: 3; *in proximo* J. 59: 2; *pro bono* J. 22: 4; *pro certo* C. 15: 2; 52: 17; *pro falsis* C. 3: 2. In plurali numero exstant: *hostilia* J. 3: 2; 107: 2; *insolita* H. III: 28; *mediocria* J. 89: 2; *muliebria* C. 13: 3; *parta* J. 31: 17; C. 51: 42; *solita* H. III: 90; *virilia* III: 82, 15; *loca nuda gignentium* J. 79: 6; *gignentium natura* 93: 4; *cupitis* H. IV: 58.

Adjectivorum neutra cum Genitivo Substantivi conjunguntur, ut apud poetas et posteriores scriptores fieri solet: *diei extremum* J. 21: 2; *aetatis extremum* 90: 1; *diei medio* H. II: 102; *in praerupti montis extremo* J. 37: 4; *ad summum montis* 93: 2; *multum diei* 51: 2; *plerumque noctis* 21: 2; 98: 6; 109: 4; *plurimum timoris* H. I: 45, 1. — *aquae* J. 75: 5; *humi arido utque arenoso* 48: 3; *humanarum rerum pleraque* 102: 9; *occulta pectoris* 113: 3; *rupis aspera* C. 59: 2; *incerta generis humani* H. I: 21; *in oceani longinqua* I: 61; *laeva moenium* II: 24; *Italiae maritima et provinciarum* II: 50: 7; *cava terrae* II: 52; *reliqua cadaverum* III: 7; *omnia oppidi* III: 26; *certaminis adversa* III: 82, 4; *Italiae plana ac mollia* IV: 32.

Adjectivorum comparativus gradus cum præpositione jungitur: J. 73: 5 *in majus celebrare* [1]); H. II: 88 *in majus more rumorum audivit;* III: 64 *in majus componentem;* inc. 44 *plura de bonis falso in deterius composuit.*

In *Pronominum* usu paulo negligentius nonnumquam versatur, ut sit aut *illi* pro *sibi* positum: J. 96: 2 *ipse — magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent;* H. V: 11. *Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur;* aut reflexivum pro determinativo: J. 61: 1 *in iis urbibus, quae ad se defecerant, — praesidia imponit;* 66: 1 *civitates, quae ab se defecerant, — affectare;* 103: 2 *reputando, quae sibi duobus proeliis venerant.*

Uterque in plurali de duobus singulis dicitur C. 5: 7 *inopia — et*

---

[1]) Locutio illa ad Græcorum loquendi consuetudinem conformata videtur; cfr. Thucyd. 1: 10 *ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι*; 1: 21. — Livius et Tacitus eam frequenter usurparunt. Cfr. Roth. Tac. Agric. p. 218—222.

conscientia, quae utraque his artibus auxerat; 30: 4 *Qu. Marcius Rex, Qu. Metellus Creticus —, ii utrique — erant.*

Animadvertendum est, quod legitur J. 18: 3; *Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit, exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus brevi dilabitur;* vocabula enim illa *sibi quisque* ablativis absolutis eo modo, quem poscit verbi finiti structura *(quum multi sibi quisque imperium peterent)* negligentius sunt interposita [1]). Cfr. Justin. 29: 1, 8 *His regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quisque majorum vestigia nitentibus magna indoles virtutis enituit.*

In *Verborum* usu est animadventendum:

Indicativi Praesens pro *Futuro* usurpatum: C. 58: 9 *si vincimus, omnia nobis tuta erunt; sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient.* H. III: 1, 10 *qui nisi subvenitis, — transgredientur.* Cfr. Cic. Verr. 1: 2, 6.

Perfectum, ut Aoristus Græcorum, de re, quæ sæpe facta est vel fieri solet, ponitur: C. 11: 3 *Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit.* 51: 2 *neque quisquam omnium libidini simul et usui paruit;* ib. § 11 *neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere.* 58: 15 *Si haec relinquere vultis, audacia opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit.* J. 42: 4 *quae res plerumque magnas civitates pessumdedit.* 102: 7 *dein, quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit.*

Perfectum pro *Futuro exacto* C. 52: 4 *hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores* [2]).

---

[1]) Madvigius (Emend. Livian. p. 311) ait: "Aut *quisque* pro *quibusque* positum Ablativo casu accipiendum aut *quibusque* scribendum esse, vidissent enarratores, si attendissent, non singulos ibi significari homines de imperio contendentes, sed gentes et populos, ex quibus compositus Herculis exercitus fuisset; itaque plurali numero *sibi quique* imperium petisse dicuntur". Sed etsi Sallustius forma *quis* pro *quibus* usus est, tamen non sequitur, ut formam *quisque* pro *quibusque* usurpaverit; quam quidem formam alias pro quibusque positam neque apud Sallustium neque apud alium quemquam scriptorem invenimus. Pluralis *quibusque* autem Sallustii loquendi consuetudini repugnat, quippe qui substantivo pluralis numeri pluralem pronominis *quisque* per appositionem numquam adjungat. — Cfr. de hac structura Haasium ad Reisigii Scholas ann. 362 p. 353. — Nægelsbach. Lat. Stilistik p. 262 (ed. 3).

[2]) "Perfectum enim futuri exacti potestatem habet, gravius tamen affirmans, siquidem ne futuri quidem significatio adest, sed una rei præteritæ". Matthias ad Cic. Catil. 4: 6, 11.

Plusquamperfectum nonnumquam usurpatur, omisso membro, ad quod referatur; ut C. 18: 6 *Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant.* 24: 1 *Quod factum primo populares conjurationis concusserat.* 36: 5. 50: 4. 56: 2. J. 57: 6. 72: 1. 73: 3. 88: 3.

Indicativus a Sallustio semper ponitur in locutione: *quippe qui;* qua quidem re efficitur, ut relativa enuntiatio sententiæ præcedenti non tamquam pars necessaria causali nexu copulata adjungatur. C. 13: 2. 48: 2. J. 1: 3. 7: 6. 14: 10. 20: 6. 28: 1. 48: 1. 54: 8. 76: 1. 85: 32. 86: 3. H. II: 27. III: 1, 4. [1]) — E contrario locutioni *utpote qui* C. 57: 4 *Conjunctivum* addit.

Indicativus in oratione, quæ dicitur, obliqua positus sæpe reperitur. C. 14: 7 *Scio fuisse nonnullos qui ita existimarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse.* 17: 7 *Fuere — qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse, quia Cn. Pompejus invisus ipsi magnum excercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere.* J. 38: 9 *Deinde Jugurtha — verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame ferroque clausum tenet, tamen se — omnes sub jugum missurum.* 54: 1 *hortatur, ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant.* 63: 1 *proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret, — cuncta prospere eventura.* 16: 2. 106: 3. C. 22: 3. 27: 4. 30: 6. 50: 3. 51: 32 [2]).

Conjunctivus insolenter positus reperitur C. 7: 7 *Memorare possem, — ni ea res longius nos ab incepto traheret.* Locutio illa eo excusari potest, quod sententia ab enuntiatione conditionali apta est; neque vero Ciceroni prorsus est inusitata; cfr. Tusc. 1: 34, 84 *Possem id facere.* 2: 5, 14 *Magis esset pudendum, si in sententia permaneres* [3]).

In *consecutione temporum* commemorandum videtur, Præsenti historico Imperfectum conjunctivi sæpe adjungi, ut: C. 44: 3 *Lentulus mittit, ut Allobroges — societatem confirmarent.* 47: 3 *Senatus decernit, ut in liberis custodiis haberentur.* J. 23: 2 *eos confirmat, ut — pergerent.* 32: 5 *persuadet, ne vim quam misericordiam ejus experiri mallet.* 46: 4 *persuadet, ut Jugurtham maxime vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent.* 62: 3 *mittuntur ad imperatorem legati, qui — dicerent.* 27: 5. 97: 1. 106: 2. 107: 1. 109: 1. Qui quidem usus non solum apud ceteros historiarum scriptores sed etiam apud Ciceronem nonnullis locis exstat, ut: Verr. 4: 18; 19: Rosc. Amer. 9; in Catil. 3: 6.

---

[1]) Cicero in hac locutione *conjunctivo* semper usus est.

[2]) Cfr. Krueger. Gramm. Lat. § 652.

[3]) Cfr. quæ de ea re uberius disputavit Kuehnerus ad Cic. Tusc. 1: 49, 116.

Perfecto historico Præsens conjunctivi nonnumquam adjungitur, C. 41: 5 *Cicero legatis praecepit, ut — simulent, adeant.* J. 13: 6 *legatos Romam mittit, quibus praecepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant, postremo — ne cunctentur.* 28: 1. 111: 1. C. 34: 1. Ut Cic. Off. 1: 11, 36. Liv. 23: 2.

Infinitivus nonnullis Verbis, quibus subjecta est vis *consilii* vel *voluntatis*, adjungitur pro eo, quod est usitatius: *ut* sequente Conjunctivo; ut: *conjurare* C. 52: 24; *hortari* C. 1: 3; *dehortari* J. 24: 4; *eniti* J. 14: 1; *niti* J. 25: 9; 37: 2; *imperare* J. 47: 2; *monere* C. 52: 3; J. 19: 2; *postulare* 17: 1; alia.

Infinitivi Futurum activum, nulla numeri et generis ratione habita, in neutro singulari usurpatur J. 100: 4 *vigilias ipse circumire, non tam diffidentia, futurum, quae imperavisset* [1]).

Gerundivi Genitivus consilium sive finem designat H. I: 45, 8 *omnia retinendae dominationis honesta aestimet;* 1: 51, 3 *exercitum opprimundae libertatis habet;* ib. 6 *quum privata arma opprimundae libertatis cepisset*, ib. 10 *arma cepit legum ac libertatis subvertundae;* ut apud Cæs., Liv., Tacit.

Gerundivi Genitivus cum verbo *esse* junctus significat: pertinere ad aliquam rem efficiendam; C. 6: 7 *regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat;* 46: 2 *reipublicae perdundae fore;* J. 88: 4 *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi* (esse) *cognovit.* Ita sæpe locutus est Livius, Cicero autem fortasse uno tantum loco Verr. 2: 53, 132 *quae res evertendae reipublicae solent esse;* quo loco Dativum esse nonnulli putant.

In *Particularum* usu quum Sallustius æquales fere secutus sit, admodum pauca afferamus.

Praepositio et quod ex ea pendet, Adjectivi vel substantivi loco, pro objecto vel subjecto usurpantur; C. 3: 2 *quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea* (i. e. quæ supra ea sunt) *veluti ficta pro falsis ducit.* J. 85: 2. *Sed mihi contra ea videtur* (i. e. quod contra ea est); [2]) quem usum ne Cicero quidem prorsus aspernatus est; vide Orat. 1: 4 *in poetis non Homero soli locus est aut — —, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.*

Postremo et *Prorsus* apud Sallustium comprehendendi vim sæpe habent, ita ut significent: *ut paucis complectar;* ut C. 14: 3; 6; 20:

---

[1]) Hunc loquendi usum Gellius Noct. Attic. 1: 7 apud Ciceronem Verr. 5: 65, 167 reperiri contendit, quamquam eo loco vestigia illius structuræ hodie non videntur exstare; vide Kritz. ad J. 100: 4, Haasium ad Reisigii scholas ann. 275.

[2]) Cfr. Nægelsbach. Lat. Stilistik p. 203.

12; 23: 3; 37: 5; J. 2: 3; 31: 12; 92: 2; — C. 15: 5; 23: 2; 25: 5; J. 23: 1; 30: 3; 66: 1; 76: 4.

Quin paulo insolentius usurpatur C. 39: 4 *neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret.* Locutio illa negligentia quadam est conformata; nam quum particulam *quin* ad vocem *neque uti licuisset* tantummodo referri posse appareat, aut vocab. *diutius* abesse debuit aut sententia per particulam *sed* continuari. Item 53: 6 *silentio praeterire non fuit consilium, quin — aperirem.* Cfr. Tac. Agric. c. 20 et 27 [1]).

[1]) Vide quæ de ea re disputavit Roth. ad Tac. Agric. p. 257 sqq.


UNIVERSITY OF CHICAGO
41 962 829

